

De 5797







*Hillemiffes*



1830 / 1/2



HISTORIA  
MERDASIDARUM

EX

HALEBENSIBUS CEMALEDDINI

ANNALIBUS

EXCERPTA



AB



IOANNE IOSEPHO MUELLER,  
*Theologiae Doctore.*

BONNAE,  
TYPIS PETRI NEUSSERI.

[1830]

HISTORIA  
MERCATORUM

II

HALLENSIS CEMETERII

ANNALES

1700



JOHANNES JOSEPHUS WITTEL  
Halle, 1700

1700  
Halle, 1700





## P R A E F A T I O.

*Cl. Freytagii in literis Orientalibus Professoris nostri liberalitate factum est, ut hanc Syriacae historiae particulam ederemus. Is enim illustrissimus vir singulari erga nos usus benevolentia diligentissime a se transcriptum bibliothecae regiae Parisiensis codicem eum, qui Halebenses Cemaleddini Annales continet, nobiscum communicavit eo consilio, ut nos quoque, quemadmodum ipse ante fecerat, aliquam eius partem Latinis illustratam literis foras daremus. Cum igitur prior Annalium pars usque ad annum cccxcii id est ad finem regni Hamdanidarum a cl. Freytagio \*) vel explicata sit vel edita, ego horum imperium mox excipientium historiam Merdasidarum mihi enarrandam sumpsi. Has inter familias regias intercedunt duo omnino viri paulo illustriores, qui Halebi imperium exercuerunt, Luluus et Menzurus (ceteri enim post hos sub potestate Aegyptiorum exiguum tempus urbi praefuerunt), quorum res gestas non praetermittendas existinavi, tum quod historiae seriem nollem interrumpere, tum quod hoc temporis spatio continerentur Merdasidarum primordia. Ita hoc libello octoginta annorum facta amplexus absolutam confeci historiam. Atque de Cemaleddini historici nostri laudibus tam multa a multis dicta sunt \*\*),*

---

\*) *Selecta ex Hist. Halebi e cod. Arab. Bibl. Reg. Paris. ed. G. W. Freytag. Lutet. Paris. 1819. Eiusdem: Regnum Saahd-Aldaulae in oppido Halebo. Bonn. 1820. et: Lomanni Fabulae et fragmenta quaedam historica. Bonnæ 1822.*

\*\*\*) *Vid. Praef. libri modo laudati: Sel. ex Hist. Halebi.*

ut nihil sit necesse pluribus verbis exponere. Relinquitur, ut breviter doceam, quo modo in reddendo codice Arabico versatus sim. Fidissimus in rebus, verborum parum tenax magisque Latinae rationem linguae secutus, venustissimam scriptoris nostri simplicitatem dictionemque nitidissimam consecrabar, ut lectio ipsa aliquid delectationis haberet. Saepius inculcatus versus ac pauca quaedam minus memoratu digna omisi. Si quae codicis verba difficiliores haberent explicatus, cl. Freytagius consilio nobis adfuit suo incredibilique sua literarum Arabicarum peritia. Legentium adiuvandorum causa mensium nomina numero cum exprimerem, admirabile fuit iocularem detegere errorem Lexicographorum, qui cum horum alter alterum exscriberet, ab uno ad omnes manavit. Falso enim omnes Djumadam priorem et posteriorem dicunt ordine quintum et sextum esse mensem; re autem vera Djumada prior sextus, posterior vero septimus est mensis: mirifice iidem nihilo tamen secius Rabiam quoque posteriorem quinto numerant loco. Adnotationum paucitati, cuius duae sunt causae, altera quod hic loci amplioribus librorum subsidiis destituti sumus, altera quod non admodum magnis fortunis opusculum hocce meo sumptu edendum esset, copiosissimo indice mederi studui. Extremum est, quo nihil mihi prius nihil antiquius esse potest, ut publice immortales gratias agam cl. Freytagio, cuius benignitate factum est, ut auxilii aliquid attulisse huic studiorum generi videremur.

HISTORIA  
MERDASIDARUM.

Interfecto Saieddaula anno cccxcii \*), Hamdanidarum qui ultimus imperium Halebi exercuit, Luluus, Saifeddaulae libertus, regno praefecit Abulhasanum et Abulmaalium, eius filios; omnes vero res gerendas ita sibimet ipsi penitus assumpsit, ut illis praeter nomen imperatoris nihil esset reliqui. Is anno insequenti castella Cafarrumam, Arum, Aruhum, propterea quod verebatur, ne repentino occuparentur impetu, omnia uno tempore destruxit. Quibus rebus confectis, eo qui secutus est anno (cccxciv) solus regnare cupivit, filiosque Saieddaulae una cum Saadeddaulae mulieribus in Aegyptum ablegavit; quo facto regnum ipsi eiusque filio cessit. De Luluo nihil praeterea dignum memoria traditum est, quam quod Ahmedus Hôseini filius, Alazgharus, per insidias in eius manus venit; idque hac ratione effecit: rogabat eum, uti ad

\*) Inde a fuga Mohammedi.



se Halebum veniret, sese una cum eo consilium initurum simulans. Qui cum nihil suspicatus doli eo venisset, comprehensum in custodiam dat, caetera benigne habet, quo Graecos terrore contineat. Transierat enim hic Euphratem, Syriamque ingressus erat adversus Graecos se facturum expeditionem prae se ferens; adeoque magna eum multitudo hominum sequebatur, ut modo triginta armata millia ad eum omnium ordinum confluisent, modo decem tantum millia haberet. Is dum diutius ad Caesaream, quam obsidebat urbem, moratur, Basilius Imperator Graecorum apud Hacimum, qui Aegyptum obtinebat, questus est de eo; qua re impetravit, ut magnas ille ad eum copias ac Damascum mitteret. Permansit vinctus in arce Halebi Alazgharus usque ad annum CDVI, quo anno in Aegyptiorum pervenit fidem ac ditionem civitas. Decessit Luluus Magnus ultimo die a. CCCLXXXIX, ut alii volunt, primo die anni insequentis. Erat magna vir prudentia iustitiaeque amans, ac spectata in aliquot Saifeddaulae expeditionibus eius fortitudo est; quare multis eius sociis ex Saifeddaulae et Saadeddaulae libertis anteponebatur.

Post eius mortem imperio potitus est Menzurus, Lului filius. Huius iniustitia ac saevitia fiebat, ut fere omnium celeriter Halebensium animi ab eo averterentur, versibusque contum-



lios et satiricis eum vehementer carperent. Is anno ipso ante patris obitum Abulghanaiimum et Abulbaracatum, filios suos, ad Hacimum in Aegyptum legatos miserat; quibus munifice liberaliterque acceptis Hacimus decreto septem in Palaestina possessiones attribuit, eorumque patri honoris causa cognomen Mortadhiddaulae indidit. Ita ab hac parte dum satis se tutum arbitratur Menzurus, domesticum adversus eum bellum paratur. Erat Halebi e gente Hamdanidarum superstes Abulheidja quidam, filius Saadeddaulae, quem pater Luluus moribundus commendaverat. Hunc Luluus, postquam regnum occupavit, aequae ac Menzurus, metu commoti, omnibus modis opprimere studuerunt. Quod ubi Abulheidja intellexit, sibi praemetuens, usus opera hominis Christiani, cui nomen Madcunae, mercatoris ac byssarii Menzuri, ex oppido profugit, atque ad Imperatorem Graecorum contendit, a quo honorifice exceptus Magister est appellatus. Cum ea ita essent, neque iam Menzuri iniuriae et saevitia amplius ferendae viderentur, indignantes Halebenses Celabitaecque ii qui urbanis fungebantur muneribus, fayere et cupere Abulheidjae coeperunt. Mittuntur literae ad generum eius Momaheddaulam Mervani filium (huic enim illius filia nupserat, credo, regnante adhuc Saadeddaula), qui tum Diarbecrae imperium obtinebat; quibus literis ei datur ne-



gotium, uti a Basilio Imperatore Graecorum Abulheidjam, cui adversus Halebum opitulentur, repetat, ea tamen lege ut sub ipsius sit Basili imperio, neque ipse ulla adiuuandi molestia afficiatur. Quod ei mandatum est facit, ac facile id quod petit a Basilio impetrat. Itaque dimissus Abulheidja Maiafarecinum ad generum suum se confert, a quo et opibus et equibus ad numerum cc adiutus, postquam Celabitas per nuncios rogavit, ut sese cum eo coniungerent, anno cccc Halebum ire contendit. Tum Menzurus metu percussus Celabitas ab eo avertere, sibi que eorum gratiam atque amicitiam reconciliare studet. Nunciis ad eos missis, possessiones eis haud exiguas se daturum pollicetur, exterisque omnes Halebensium possessiones cum iis sorte divisurum, idque iureiurando confirmat. Praeterea Hacimi implorat auxilium, seque civitatem suam in eius fidem atque potestatem permissurum pollicetur. Hic ad eum exercitum Tripolitanum, cui praeerat Alius Abdalvahedi filius, is qui Tripoli ius dicebat, simulque Abusaadam, praefectum eius urbis, magna cum manu mittit. Uterque exercitus in Nocra congressi praelium committunt. Celabitae tantis excitati praemiis pollicitationibusque Abulheidjam deserunt; qui omnibus copiis atque opibus amissis in Graecos versus fugam petit; post Constantiopolim profiscitur, ibique, postquam Men-

zuro ab Hacimo imperium Halebi quarto ex illo tempore anno decreto erat confirmatum, moritur. Erat eo tempore in arce Asasi quidam e stipatoribus Menzuri, cui cum de Abulheidjæ rebus esset in suspicione, ex arce eum descendere iussit. Ille vero metu commotus id facere recusavit et alii se atque Alio iudici arcem transditurum negavit. Quod cum fecisset, hic eam ingressus Hacimum ea de re per literas fecit certiolem, arcemque Menzuro transdidit. Hunc tamen primo obiurgiis petitum Menzurus postea interfici iussit. Post id factum cum iudex Tripolitanus, quem supra memoravimus, ad Menzorum postulatum veniret ut promissum faceret, ab eo repulsus infecta re Tripolim est reversus.

Hoc bello confecto, ac simili conatu regni occupandi ab Abulmaalio Saieddaulae filio frustra facto, Celabitæ Menzorum eas quas esset pollicitus possessiones flagitare. Postea vero quam eas obstinate sibi negari viderunt, in Halbensium fines incursione facta, atque iis devastatis, arboribus depastis ac succisis, vehementer eum premere atque urgere coeperunt. Tum vero Menzurus, ubi rem esse in angusto vidit, insidias hostibus tendere constituit. Sese fidem servaturum simulare, nec promissa migraturum significare; invitare eos in urbem atque ad se per causam componendæ pacis convocare; epulas parare. Eo cum frequentes convenissent,

in coena impeditis omnium animis, portas claudi et Celabitarum principes in catenas coniici iubet: in his fuit Zalehus Merdasi filius. Eorum potentiores in arce collocat; ceteros in horreo tenet, ad hominum plus mille occisis. Id accidit anno ccccii die altera ante finem mensis undecimi. His rebus gestis Menzurus Zalehum cum Tharuda, uxore sua, quae omnium aetatis suae multo formosissima habebatur femina, divortium facere coegit; ipse eam in matrimonium duxit. Multis eorum, quos in arce vinctos teneri supra demonstravimus, fame omniumque rerum angustiis necatis, cum aliquando Menzurus succensus Zaleho, eiusque fortitudini ac facundiae invidens, inter vinum eius interficiendi consilium cepisset, Zalehus de ea re certior factus atque eo nuncio perterritus omni ratione e custodia sese eripere contendit. Compeditibus se liberandi facultatem nactus, muroque carceris perrupto, silentio noctis in adiacentem tumulum desilit, atque inde die primo anni ccccv incolumis evadit, et ad montem Djauschanum pervenit; ibi in caverna se occultat, e qua deinde egressus in vicum suum tendit. Congregatis eodem Celabitis, atque illius liberatione confirmatis eorum animis, Zalehus inde profectus in colle Hamedo, qui est in agris Nocranis, horum agrorum dividendorum causa convocatis Arabibus, die decimo mensis secundi consedit. Menzuro cum



id nunciatum esset, ab hoste collem Hamedum obsessum teneri, maturat ab urbe proficisci, priusquam eius copiae adaugerentur; et exercitu suo coacto omnem Halebensium multitudinem, in ea vel infimae condicionis homines, se sequi iubet, ac biduo omnino in eo negotio consumpto ad hostes pergit. Contenditur praelio; Zalehus, simul atque hostes conspicatur, magno impetu eos aggressus praecipites in fugam dat; magno hominum numero interfecto, compluribus captis, in his Menzuro et Salemo Mostafadi filio, Hamdanida, reliqui fuga se cripiunt. In eo praelio ex multitudine ea, quae exercitum subsequi iussa erat, interficiuntur ~~ii~~ millia. Abuldjischus, Menzuri frater, e fuga se in arcem Halebi recepit, urbemque una cum matre sua occupavit. At Menzuri in ea pugna tanta fuit virtus eaque animi magnitudo, ut nisi circumventum non conarentur adoriri, et, cum undique circumsisteretur, ad eum accedere auderet nemo, donec adventu Zalehi arma abiecit. Intercesserat autem Zalehi fugam inter et id tempus, quo ab eo Menzurus est captus, spatium dierum quadraginta unius. Hoc praelio facto ac Menzuro in easdem illas catenas, quibus antea ipse ab illo erat vinctus, coniecto, Zalehus, quod se civitate potiri posse non confidebat, de pace agere coepit. Primores civitatis ubi pacis conciliandae atque confirmandae

causa ad eum missu Abuldjeischi venissent, primo, quod eum ante paulo in vinculis atque angustiis viderant, Zalehum contemnere ac parvi facere, et magnos sibi spiritus magnamque arrogantiam sumentes quas ferebat condiciones repudiare. Id cum Zalehus animadvertisset, quo maiorem iis suae potentiae opinionem afferat, ad Menzurum ut de pacis condicionibus consultum eos deduci iubet: quem ut tristissima specie, nudo capite, vinctum in catenis iacentem conspiciunt, tum vero tantam repente Zalehi existimationem animo conceperunt, ut multa submisce suppliciterque locuti peterent atque orarent, Uti Menzurum liberum dimitteret, et ad has accederet condiciones: ut ipsi quinquaginta denariorum aureorum millia, et cxx Halebensia argenti pondo persolverentur; itemque D varii generis panni traderentur; ut Celabitarum ii, qui adhuc in custodia essent, ad unum omnes cum mulieribus suis in libertatem vindicarentur; ut ipsi praeterea dimidia totius civitatis pars, cuius fructus caperet, assignaretur; denique ut Menzuri filia ei in matrimonium daretur. His condicionibus acceptis, iureiurando ea res confirmatur. Producuntur ad Zalehum, quos obsidum loco habeat, Bahila, Menzuri mater, Omelearma, eiusdem uxor, et qui ex ea nati erant filii, Abulghanaimus, Abualius, Abulhasanus et Abulbaracatus. Quibus rebus constitu-

486

tis, Menzurus dimittitur incolumis, urbemque est ingressus die septimo ante finem mensis secundi huius anni. At opibus iis quae convenerant transditis, obsidibusque a Zaleho dimissis, cum Menzurus pristina usus perfidia constitutam vectigalium partem denegaret, filiamque suam ei in matrimonium dare recusaret, Zalehus rursus arma capere et comteatu eum intercludere instituit. In his cum essent angustiis oppidani, vehementi adversus Menzurum odio exarserunt. Accessere huc anno insequenti graves ipsi cum Fateho, qui arci erat praefectus, simultates. Hunc enim indiligentiae incusaverat, qua factum esset, ut et antehac Zalehus e carcere evaderet, et nunc in tanta omnes versarentur calamitate. Itaque eius amovendi consilium capit, aliumque arci praeficere in animum inducit. At inimico eius in se animo cognito, et quid infesti contra se inierit consilii explorato, Fatehus, cum iis qui una in arce commorabantur coniuratione facta, ex arce descendere iussus, primo, quominus imperatum faciat, causas interponit; deinde palam a Menzuro desciscit eique denunciat, Nisi urbe excedat, sese arcem Zaleho transditurum. Tum sexto die ante tertii mensis finem anni ccccvī, Menzurus dum in castello suo prope portam hortulorum esset, Fatehus, quod fore sicut accidit videbat, noctu ingentem in arce cum tubarum sonitu clamorem tolli,

inque primis et Menzurum appellari, et adesse Zalehum magno tumultu pronunciari iussit. Qua re subita perturbatus Menzurus, iamque intromissum in arcem Zalehum arbitratus, cum fratre, filiis et nonnulla parte stipatorum per portam hortulorum se ex oppido eiecit, Antiochiamque profugit. Opum vero tantum quantum portare poterat secum duxit. Huius discessu in vulgus elato, omnis continuo iuventus Halebensis ad diripiendam eius domum contendit; eandem fortunam tulerunt fratrum eius domus et aliquot Christianorum Iudaeorumque domicilia. Praefectus Antiochiae de fuga et adventu Menzuri Basilium per nuncios facit certiore. Is, uti omnibus eum rebus iuvet atque in eodem quo antea usus fuerit honore habeat, eiusque exercitui, qui peditatus equitatusque numerum MCC virorum conficiebat, omnium rerum, quae ad vitam sustentandam pertinent, copiam supeditet, imperat. Ille quod iussus est facit. Ab ipso praeterea Basilio fit decretum, quo decreto complures Menzuro possessiones attribuuntur. In his fuit Lilunum, cuius a Menzuro exstructum castellum est; ibi, quo commodius propter propinquitatem loci, quo statu Halebi res essent, pro rei necessitate cognoscere posset, habitare constituit. Vixit Menzurus usque ad annum ccccxxi, quo anno Romanus Constantinopolim egressus ad vicum Tobbal castra posuerat, ipseque cum eo erat profectus.



Menzero exacto, totiusque civitatis vectigalium dimidia parte cum Hacimo et Zaleho, cui eae praeterea possessiones quas ei Menzurus, postquam erat pollicitus, denegavit, transdebantur, communicata, ad Abulhasanum Eddhaifum, Apameae praefectum, qui in castello ad portam hortulorum posito sedem capiat urbanisque praesideat rebus, interea dum ipse archiepiscopus praesit, a Fateho initio mensis octavi anni ccccvi urbis imperium defertur. Is acquissimam mitissimamque regnandi rationem ingressus Halebensibus ea bona, quae iis ab Saifeddaula eiusque filio per vim erant erepta, reddidit, totusque et mente et animo in iustitiam insistebat. Hacimus de Fatehi rebus gestis institutisque ab ipso certior factus mittit ad eum literas, quibus literis ei gratias agit, factaque eius collaudat atque comprobatur; itemque veniunt ab eo literae ad Eddhaifum ac Zalehum, quos honorificis prosecutus nominibus cohortatur, alterum uti diligenter Fatehum industrieque adiuvet, alterum ut ne ab his dissentiat. Halebensibus autem atque iis, qui in eorum erant fide, ab Hacimo publicum perscribitur decretum, cuius haec erat summa: Sese, postquam ad suas aures de eorum, quorum antehac erat in potestate civitas, iniustitia ac saevitia, quibus onera civibus tributaque augere, iura extorquere, gravissimas inferre miserias atque indignitates consuessent,

fama rumorque pertigerit, Halebensibus in proximum annum, qui est annus ccccvii, omnium tributorum permittere immunitatem, idque hoc se documento confirmare. Eius decreti exemplar ipsius signo Hacimi obsignatum in manibus est nostris. Crebrae inde brevi tempore in regno Halebensi successiones factae; namque Hacimus, postquam Fateho Tyri transdidit imperium, mense nono anni ccccvii Fatecum Asiseddaulam arci praeficit; eodem mense urbi quoque praeficitur idem Asiseddaula, Armenius, unus e stipatoribus Bendjutecini. Erat magnae vir prudentiae, magni animi, multarum literarum, et poesis in primis fautor cultorque. Hic, ne idem sibi quod Menzuro accideret veritus, sub ipsa arce castellum, in quo habitaret, cum ea coniunctum exaedificavit. Non ita multo post impetratum imperium alienata a se Hacimi voluntate adductus ab eo defecit. Is, dum adversus eum bellum parat, anno ccccxi moritur. Hunc in Aegypti imperio consecutus Tsaherus in magno Asiseddaulam habet honore. Sed mense quinto anni ccccxiii Asiseddaula a Tisuno, uno e stipatoribus suis, qui armatus noctu cubiculum eius clam intraverat, interficitur. Post eius mortem Badrus Turca, quo familiarissime Asiseddaula usus fuerat, quemque arci praefecerat, die decimo eiusdem mensis, qui fuit dies Solis, rerum potitur; neque abest suspicio, ut nonnulli

407.413  
415

arbitrantur, quin ipse Tisunum impulerit, ut illum necaret. Mittuntur eodem anno a Tsahero contra eum copiae Aegyptiacae, quarum erat dux Eddhaifus Sadideddaula. Oppidi deditione facta, die vicesimo primo mensis tertii imperium ad Zafieddaulam defertur. Ut tamen omni defectionis metu se liberet, Tsaherus alterum huic adiungit praefectum qui arcem occupet; is erat Jumneddaula. Insequentis anni medio mense primo Zafieddaula Halebo excedit, cuius in locum succedit Seneddeddaula, is qui Apameae arci praeerat. Sed proximo iam anno, qui fuit annus ccccxv, hic gravi morbo implicitus vim morbi sustinere non potuit, et die octavo ante finem mensis quinti vita excessit. Eo mortuo ad eius fratrem Sadidelmolcum, Tannisi praefectum, qui die septimo mensis sexti eiusdem anni Halebum pervenit, imperium redit; a quo iussu atque imperio Tsaheri arci praeficitur Mauzufus. Is non minus virtute quam prudentia valebat.

Hoc ipso anno tres Arabum principes, Zalehus Merdasi filius Celabita, Senanus Aliiani filius Calbita, Hassanus Almufarredji filius Thaiita, coniuratione facta, totius expugnandae Syriae consilium ineunt, eamque inter se dividere constituunt. Partitione facta, Hassano obvenit Palaestina cum iis regionibus quae huic annumerabantur provinciae; Senano Damascus



atque ea loca quae ei erant adiuncta; Zaleho autem Halebum quaeque erant sub ditione Halebensium. Quod ubi Tsaherus rescit, Aldesberium adversus eos in Palaestinam misit. Hunc illi totis copiis adorti praelio superant, atque Ascalonem repellunt. Quo praelio facto Hassanus mense octavo eiusdem anni Ramlam armis expugnat, oppidum diripit atque incendit; puerorum mulierumque magnus numerus in servitum abstrahitur. Eodem tempore a Zaleho Abumenzurus Soleimanus, cuius in rebus administrandis utebatur opera, Maarramezrinum missus oppido potitur eiusque praefectum comprehendit, comprehensum in vincula coniecit. Inde cum ea quam secum habebat Arabum manu die septimo mensis octavi Halebum contendit; ibi cum singulis separatim diebus cum Sadidelmolco ac Mauzufo armis esset dimicatum, eodem Zalehus magnis copiis pervenit, et die xvii mensis noni ante portam hortulorum castra ponit. Diebus lvi in obsidione consumptis, cum graves Mauzufo cum Salemo Mostafadi filio, qui multum et auctoritate et potentia Halebi pollebat, intercederent inimicitiae, adeo ut Mauzufus id ageret ut illum interficeret, Salemus, coacta manu portaque Cinnesrinensi occupata, per eam erumpit atque ad Zalehum transit. A quo cum de sua oppidanorumque omnium salute impetravisset, die decimo tertio



mensis undecimi oppidum deditur; arcem vero et quod ei coniunctum est castellum Sadidelmolcus defendit. Hanc igitur oppugnare instituit, operibusque circumdari iubet. Ad eas res conficiendas Salemus, modo quem memoravimus, et Soleimanus ab eo relinquuntur; ipse in Palaestinam, ut Hassano contra Aldesberium opem ferat, proficiscitur. Hic enim praelio victus, ut docuimus, novas colligere copias instituerat, magnoque coacto exercitu rursus ad Hassanum iter habebat. Quibus auctus subsidiis praelio rem committere non dubitat; atque iterum profligatur. Salemus autem et Soleimanus post septem mensium oppugnationem die primo mensis sexti anni ccccxvi arce potiuntur, Mazufumque ac Sadidelmolcum capiunt, quorum alter confestim trucidatur, alter, opibus Zaleho transditis, ab eo conservatur. Eodem anno expugnantur a Zaleho Emessa, Baalabecca, Sidon, et in Tripolitanorum finibus castellum Accariadae; iamque Rahabam, Manbegam, Balesum et Raphaneas in potestatem suam redegerat. Dum haec a Zaleho geruntur, Hassanus omnes longe lateque Syriae agros vastare atque depopulari coepit. Quibus tot tantisque malis atque incommodis acceptis permotus Tsaherus novum comparare exercitum, eumque ductu Aldesberii ac Rafiae Abulleili filii adversus Hassanum mittere instituit. Horum adventu audito, Has-

sanus Zalehum auxilio vocat; venit. Ubi ad Jordanem est perventum, in loco ad ripam eius fluminis sito, qui appellatur Achavana, amborum sibi in conspectum venientium exercituum fit concursus. Summa vi ab utrisque contenditur. In ea pugna Zalehus telo transiectus ex equo decidit; id conspicatus Rafia principemque Celabitarum agnoscens dato impetu ad eum accurrit, atque caput eius abscindit, abscissum ad Aldesberium deferre properat. Hanc pugnam factam ferunt alii die quinto ante finem mensis quinti, alii die octavo mensis sexti anni ccccxx. Interfecto Zaleho Tsemal Muisseddaula et Nazrus Schableddaula, eius filii, regnum inter se dividerunt; horum alter arcem obtinebat, alter oppido praeerat. Eodem anno Michael eunuchus, praefectus Antiochiae, iniussu Imperatoris, nihilominus tamen sperans fore ut sibi auxilia ab eo submitterentur, adversus Halebenses expeditionem fecit. Is ubi Caibarum pervenit, atque eius oppidi arcem oppugnare incepit, Nazrus ac Tsemal extremo mense septimo eius exercitum adorti, magnaue parte occisa, in fugam coniecerunt. Insequenti anno Nazrus arcem quoque, cum Tsemal ad uxorem suam iter habens forte ex urbe exisset, subita invasione facta, nullo defendente sine vulnere in suam potestatem redegit, fratrique suo portas praeclusit. Qua perfidia iniuriaque permotus Tsemal, congregatis

415

palantibus Arabibus, fratri suo bellum inferre parat. Sed Nazrus prius sibi Romani, Imperatoris Graecorum, (Basilus enim anno ccccxv vita excesserat) auxilia adiungere statuit, quam praelio decertaret. Qui ubi cum militum dc millibus, ut fertur, Antiochiam pervenit, Arabum duces, ut Tsemalis ac Nazri controversiae componerentur, petierunt. Quibus auctoribus atque agentibus constituitur, Nazrus uti Halebum obtineat, Tsemali vero Balesum et Rahaba assignentur. Quo facto Nazrus priorem legationem, qua Romani imploraverat auxilium, tempore commutato abrogat, mittitque ad eum Mocalledum Camili Merdasidae filium, patruelem suum, oratum, Ne ipsum bello lacesat, quod si ab eo impetravisset, se tributa ea quae Saifidae Basilio pendere consuessent, ei soluturum. At Romanus postulata Nazri reiiciens Mocalledum vinctum apud se retinet. Sed tamen, cum manifestum esset Nazrum sententiam suam mutasse superiusque cum fratre suo bellandi consilium omisisse, ille neque animi neque virium ad oppugnandum Halebum satis habebat: itaque diebus non amplius decem Antiochia Caibarum proficiscitur. Tum accidit, ut legio una Graeci exercitus Arabes Halebenses in fugam ageret; hi enim impetu facto in Graecos inciderant: at illi superiores discesserunt. Erant autem in exercitu Graecorum rex Bulgarorum, rex Russorum,



Chosari, Abasgi, Armenii, Petschenegi, Franci. Est vicus in finibus Halebensium nomine Tobbal non procul a monte; eo Imperator Graecorum cum legionibus pervenit, et loco ab aqua remoto castra collocavit, atque a fronte contra hostem fossam fieri iussit. Impedimenta sua septuaginta imposuerat camelis dromadibus, omnisque eius exercitus tantum complevit spatii, quantum eques uno die maxima usus celeritate circumvehitur. His rebus administratis legio una cum proceribus exercitus ab Imperatore Asasum mittitur. Quam Celabitae adorti praelio superant, magnoque nobilium numero occiso, regumque, quos cum Graecis una venisse supra demonstratum est, aliquot filiis captis, iam universum exercitum vehementer urgere atque in eum locum, quo loco castra posuerant, comprimere et obsidere coeperunt; adeoque illi timore erant percussi, ut ne tantum quidem spatii, quo telum tormentumve missum adigi posset, praedandi causa prodire conarentur.

Quibus accidit rebus, ut Imperator Graecorum domum redeundi consilium caperet, sui-que purgandi causa dictitaret, Sese facile id quod voluerit assecutum fuisse, nisi exercitus in summis aquandi angustiis fuisset. Impedimenta eius a Nazro atque Arabibus diripiuntur, ipsumque cum exercitu tridui viam a castris superioribus cunctatum Nazrus cum DCCCC equi-



tibus insequitur. Quibus appropinquantibus Graeci praecipites sese fugae mandabant, regionesque montosas petentes, quod omnes circum Moslemi spe praedae adducti impeditos in fuga adoriebantur, innumeris interfectis, permultis captis, in his regum filiis, immensaque praeda facta, tandem in Cyrresticam, quae regio sub Graecorum erat ditione, perveniunt ibique subsistunt. Ipse Romanus, ne cognosceretur abiecto calceamento rubro, insigni imperatorio, cum paucis Armeniis, qui eum custodiae causa circumdabant, fuga salutem petebat. Ea clades facta est septimo die mensis octavi anni ccccxxi. Sed de huius belli causis atque origine in diversa abeunt auctores. Alii enim rem ita factam tradunt. Succensuisse Imperatorem Graecorum Tsemali ac Nazro propterea quod eam cuius paulo ante illata mentio est cladem ad Caibarum Michaeli intulerint, ob eamque causam ipsum fines hostili esse exercitu transgressum. Quo facto ab illis Mocalledum Camili filium ad Imperatorem missum esse, qua legatione polliceantur, sese sub eius ditione atque imperio futuros. Eodem vero tempore ab illo venisse ad ipsos legatum qui postularet, uti Halebum dederent, quod si minus fecissent, id se per vim expugnaturum. At illos Imperatoris legatum vinctum apud se retinuisse atque exspectasse, dum suae esset legationi responsum. Quorum

consilium ubi enunciatum esset Romano, Mocalledum in vincula coniecisse, et contra Halebenses bellum agere instituisse. Eo nuncio illos perterritos mulieres suas ex urbe eduxisse, Tsemalemque arcis custodiendae causa Halebi mansisse, Nazrum vero in bellum esse profectum. Bello perfecto, cum ambo ad mulieres suas reducendas exissent, Nazrum praeoccupato ad urbem itinere arce potitum esse. Post id factum accessisse eum ad hanc compositionis conditionem, ut Tsemali Rahaba, Balesum, Manbega, quaeque sub eorum oppidorum essent ditio, assignarentur.

Romani Imperatoris Graecorum copiis fusis ac superatis, ut docuimus, Nicetas eunuchus, Antiochiae praefectus, magna coacta manu in occidentales regiones incursionem fecit, easque vastare atque depopulari coepit; expugnataque Manica (id castelli nomen est), Raphaneas aggressus atque decem oppidanorum millibus captis, anno ccccxxi urbis moenia destruxit. Insequente anno expugnavit castellum Abmaridarum, item Ghanadjidarum aliaque; atque ad unum omnia demolitus est. Quibus rebus adductus Nazrus literis ad eum missis eius animum permulcere non desiit, donec ad otium res esset deducta. Hoc deinde viro Imperatorem Graecorum inter et sese usus internuncio pacem ab eo hac lege impetrat, ut ei quotannis D drach-

421

marum millia, quae octo ducatorum millia conficiunt, duabus partibus persolvat. Ipse autem Imperator Mocalledum Merdasidam cruce aurea distincta gemmis donatum dimittit, qua re Nazro fidem faciat, sese pacem non violaturum. His rebus confectis Nazrus Abulhasanum Eisari filium, simulque splendida munera ex ea praeda, quam Graecis eripuit, in Aegyptum ad Tsaherum misit. Id vero factum Aegyptiis fuit pergratum feliciterque cecidit. Permansit Abulhasanus in Aegypto ad obitum Tsaheri usque; eo mortuo a Mostanziro honoribus affectus ad Nazrum est remissus; huic item ab eo honoris causa more Arabum vestes mittuntur, cognominaque honorifica indiduntur. Erat eo tempore genus hominum, qui Drusi vocabantur originemque ducebant a sartore quodam, homine barbaro. Ii secta sua ad apertas inimicitias exercendas incitati quotquot in suis erant sedibus templa evertabant, prophetarumque placita repudiabant, neque eorum quemquam praeter Imamum praesentem agnoscebant; praeterea matrimoniorum quam maximam licentiam concedebant. Cum iis regnante Nazro in Djebelsumaco congregatis diligentissimeque munitis, cum se in altis continerent speluncis, ita ut difficillimi ad eos essent aditus, Arabes rustici ex agris Halebi, earum regionum potiundarum pari cupiditate impulsii, sese coniunxerunt. Nicetas, praefectus

Antiochiae, his bellum facturus ab urbe profectus, in speluncis inclusos obsidere fumoque affligere coepit. Postea vero quam Nazrum Merdasidam ad id bellum auxilio vocasset, Drusi xxii dierum obsidionem perpassi, uti in fidem ac deditionem acciperentur, petierunt. His mense quarto anni ccccxxiii eductis inque deditionem acceptis, duces eorum sectaeque auctores comprehensi interficiuntur. Eodem anno inter Nazrum et Salemum Mostafadi filium exortae simultates sunt. Hunc enim Zalehus Merdasi filius, postquam ipsi Halebum transdidit, rebus urbanis administrandis praefecerat, eumque locum etiam sub Nazri imperio ad hoc tempus obtinebat Salemus. Concurrit ad arma iuventus Halebensis ea fiducia, ut arcem impugnare non dubitent. Erat autem internuncius, quem principio inter eos de controversiarum compositione ageretur, Christianus nomine Thomas. Is omnes quas ferebat Salemus condiciones ipso insciente immutavit, ac talia addidit mendacia, ut ad eas accedere adversarius nullo modo posset. Ita saepius rem frustra tentatam Nazrus aliquando dimittendam sibi iudicat et de bello agendum. Arcem egresso acclamant continuo Halebenses seseque cum eo coniungunt, atque ad Salemi domum adversus eum bellaturi contendunt. Qua ille defectione permotus fidem implorat. Huic Nazrus iureiurando interposito



421.425

pollicetur, sanguinem eius non effusum iri, atque eum vinctum in arce collocat. Domus eius diripitur. Post vero timens, si Salemm superstitem reliquisset, ut nulla tamen mendacii religione obstrictus videretur, laqueo ei gulam frangi iussit. Paulo post comperit Nazrus de Christiani illius, quem supra commemoravimus, infidelitate, quem comprehensum omnibusque opibus spoliatum anno ccccxxv laqueo necari iussit.

Victo ad Achavanam, ut ante demonstratum est, Zaleho atque interfecto, Aldesberius Damasci permanserat. Eo autem tempore Emessae erat praefectus Djafar Collidi filius, Catamita; is inter Anuschtecinum Aldesberium et Nazrum discordias serere summa ope contendens, ut Nazrum offensione lacesseret, illum impellere non desiit. Neque Djafarem ea spes fefellit. Subortis inimicitiis ac simulatibus Aldesberius bellum parare incipit, mittitque literas ad Imperatorem Graecorum, quibus literis adversus Nazrum bellandi, Halebique in suam potestatem redigendi ab eo licentiam sibi petit, simulque promittit, sese ea quae Nazro imposuerit annua tributa soluturum. Id ubi Imperator concessit, Aldesberius cunctos sibi Arabes Thaitas, Calbitas certumque Celabitarum numerum associat, atque eos duce Rafia Abulleili filio, adiunctis Africanis iis qui sub eius erant imperio, contra

Nazrum praemittit. Huic accessit duci Allanus Hassani filius, Thaita. Praegresso iam exercitu suo ad vallem regum, quae in oriente Rusteni sita est, Aldesberius Hemathum petebat. Quorum adventu cognito, Nazrus coacto exercitu accitisque patruelibus suis collem in occidente Salmiae obsedit. Commisso praelio Nazrus profligatur. Non desistit tamen; atque in provincia sua quam maximum potest militum delectum habet, ac Schabibum Vatsabi filium, generum suum, auxilio vocat. Interim Aldesberius Hematho potitur, oppidumque diripit. Inde profectus ad Telfasum in occidente Lathmini cum copiis Nazri concurrit. A Tsemale Merdasida initium fit fugae; Nazrus vero inter exercitus sui magnates fortissime resistens acerrimeque pugnans transfoditur, atque eius caput abscinditur, idque medio mense octavo anni ccccxxix. Perfertur caput Nazri ad Aldesberium, quem maerore complet. Is eadem usus humanitate corpus eius, postquam Hemathi, sicuti imperaverat, suspensum erat, honorifica affectum sepultura in templo urbano deponi iussit; a Mocalledo autem Camili filio, cum is Hemathi regnaret, in arcem Halebensem translatum est. Tsemal Zalehi filius e fuga se una cum Schabibo die sexto mensis octavi Halebum recepit, ibique regnare coepit; primores civitatis auxilium et opem suam promittunt. Cum

429

autem Aldesberius exercitum Thogane duce, qui fugientes persequeretur, Halebum misisset, Tsemal sibi timens, si ibi mansisset, arci Mocalledum Merdasidam, urbi vero Chalifam Djabiri filium, Caabitam, praeficit. Ipse, quo hominum animos sibi conciliaret, mercatoribus triginta aureorum millia, quae eius frater illis debebat, solvit, et comprehensis fratris sui liberis, quantasque secum ducere poterat opibus arreptis, una cum Schabibo, qui Nazri uxorem, suam filiam, secum habebat, oppido fugit atque in Mesopotamiam contendit eo consilio, ut a Chafadjidis sibi necessariis opem petat. Eius discessu in magnam urbs incidit calamitatem; omnia divina et humana iura permiscentur; diripiuntur Sultani domus mercatorumque opes. Legati, qui eo ipso tempore missu Imperatoris Graecorum Halebum venerat, impedimenta ac iumenta a plebe auferuntur. Thoganes vero, qui cum exercitu Halebum pervenerat, cum oppidum obsidere coepisset, Chalifa Djabiri filius quique ex Halebensibus cum eo consentiebant, die quarto mensis noni oppidi deditionem fecerunt. Hoc nuncio allato Aldesberius Halebum iter facere parat, atque die septimo eiusdem mensis eo pervenit. Adhuc arx in Mocalledi erat potestate, qui omnibus eius opibus ac subsidiis potitus erat. Postea vero quam aliquamdiu de deditionis condicionibus actum est, Al-

desberio certa opum subsidiorumque parte per speciem contento (hoc enim dolo, hac usus fraude est) arx quoque a Mocalledo die octavo, ut alii volunt, septimo ante finem mensis noni transditur. Ipse Mocalledus perfidiam Aldesberii veritus unam omnino diem, postquam ex arce descendit, Halebi commoratus cum opibus suis ex oppido profugit, atque ita in vicum tribus suae contendit. Quo facto Aldesberius Halebi pronunciari iussit, Quicumque apud Zalehidam stipendia fecissent, uti urbem excederent. His rebus feliciter gestis, ad Aldesberium e ceteris provinciis homines propter eam expugnationem gratulatum convenerunt; ipseque ibi festum finitorum ieiuniorum tanta magnificentia ac pompa celebrasse dicitur, quanta nunquam alias ante Halebi visa fuerit. Halebensibus autem per eam occasionem bona ea, quae iis a Zaleho contra ius fasque erant erepta, restitui iussit. Deinde duobus servis suis, quos Mamlucos vocant Arabes, Fateco et Seboctecino arci praefectis, et in urbe Radhieddaula Bendjutechino constituto, Balesum et Manbegam petit. Iis oppidis captis, Rahabam expugnare conatus infecta re Halebum redire cogitur, ibique ad diem decimum mensis duodecimi usque moratus Damascum proficiscitur.

Mortuo Schabibo Vatsabi filio anno ccccxxxi eius frater eam quam ille obtinuerat Mesopotamiae



partem occupavit. Huius filia nomine Saiida, Nazri uxor, quae Raficae commorabatur, adeo graves contra eius oppidi praefectum, unum e stipatoribus, quos frater eius circum se habere solebat, suspiciones movit, ut is necessario discederet. Quo exacto ipsa rerum potita Tsemali, qui et auctoritatem eius tueretur, et imperium exerceret, nupsit. Eodem anno Halebenses ab exercitu Antiochiae praelio superantur; quo facto Domesticus Antiochiam reversus, Thoganes vero Halebum ingressus est. Cum Tsemal Zalehi filius Raccae habitaret, Aldesberius de eius propinquitate metuens castellum Dausarum sibi comparavit, unde illum observare posset. Eo tempore a Nazro Mervani filio, qui Maiafarecino praeerat, ad Aldesberium veniunt legati qui ab eo peterent, uti suam filiam ipsius filio in matrimonium daret. Ille Nazro morem gerere animo paratus cum in Aegyptum mitteret postulatum, ut uxor et filia sua ad se adducerentur, Aegyptiis eius consilium improbantibus molesteque ferentibus, Vesirus eas dimittere recusabat. Id vero Vesirus maxime ea de causa fecit, quod ab Aldesberio contra suam sententiam ac voluntatem expugnatum Halebum aegre ferebat. Huc cum gravissimae contra eum Aldesberii verborum contumeliae accessissent, Vesirus literis ad omnes Syriae praefectos circummissis, ut ne amplius illius dicto audientes sint, iubet, Halebumque

Mostanziri decreto interposito Tsemali Zalehi filio assignat, ea tamen lege, ut omnes quae in eius oppidi arce sint opes Mostanziro transdat. Item ad milites Damascenos dat literas, eosque contra Aldesberium compellit. Hi facile excitati ubi eum in castello, quod ei in finibus Damascenorum non procul ab urbe erat, circumdederunt, noctu cum trecentis stipatorum suorum filiis, qui ad unum omnes impuberes erant, Damasco fugit atque, eius circumveniendi capiendique conatu a Celabitis frustra facto, in castellum Maarram pervenit, indeque profectus iter Halebum habebat, et, postquam in itinere se cum exercitu suo, quem ibi habere solebat, quique ei obviam venerat, coniunxit, mense quinto anni ccccxxxiii urbem est ingressus. Interim Tsemal tribum suam colligere et quoscunque posset ex Arabibus aequae ac barbaris ad impugnandum Halebum cogere instituit, cum Aldesberio praeliandi cupidissimus. At ille, quod se propter impotentiam suam spe defensionis destitutum videbat, sollicitudine et angore affectus morboque gravi consumptus tertio die post, medio mense sexto anni eiusdem, supremum obiit. Primum Halebi sepultus, post Hierosolyma translatus est anno ccccxlviii.

Post eius mortem civitati praecerat Radhiedaula Bendjutecinus Turca dies fere xli; nam biduo ante finem mensis septimi, cum Tsemal

Muisseddaula cum decreto, quod Mostanzirus ei perscripserat, Halebum veniret, huic a Bendjutecino et oppidanis oppidum transditur. Sed priusquam id ab eo impetraret, aliquamdiu inter eos varia pugnatum fortuna est. Principio enim cum Tsemal una cum Mocalledo patruele suo, qui eius copias aliquot cohortibus adauxit, Halebum profectus urbem nonnullos dies oppugnasset, ab Halebensibus praelio superati in regionem Cinnesrinensem se receperunt. Postea vero quam, suborta contentione Halebenses inter et Africanos, multis utrimque occisis, direptisque Sultani supellectilibus, Aldesberiani sibi timentes adscendere atque intrare arcem conati, idque facere a Seboctecino prohibiti, castellum, quod ad imam arcis radicem positum esse supra demonstratum est, occupaverunt, Halebensesque Tsemalem ac Mocalledum auxilio vocarunt, hic cum primo exercitus agmine Cinnesrino profectus Halebumque praegressus die altero ante finem mensis septimi urbem in deditionem recepit. Postridie eius diei, qui fuit dies Lunae, ipse Tsemal eo pervenit urbemque ingreditur, cuius confestim iuventus sese cum eo coniungit. In arce autem Seboctecinus unum omnino mensem se defendit; deinde eam transdit. Sed de arcis deditione alii alia referunt. Sunt enim qui rem sic tradant, Tenuisse se in arce Seboctecinum usque ad medium mensem tertium anni inse-

quentis (ccccxxxiv); ab iisque, qui in ea erant inclusi, Halebenses telis tormentisque esse afflictos, magnamque multitudinem eorum perisse. Quo malo perterritos Halebenses admotis machinis bellicis castellum ad radicem arcis situm oppugnare coepisse, quo perrupto muros eius, qua adingat ad urbem, ea esse demolitos, atque ea ruina etiam urbis moenium partem in latere portae Iracensis simul concidisse; Seboctecinum tamen nihilo secius defendisse se intra munitiones circa septem menses. Iamque ad auxiliorum implorandorum utrosque descendisse consilia, et Merdasidarum opes consumi ac deficere coepisse, cum subito ii qui in arce essent gravibus implicarentur morbis, quibus magnus numerus eorum periret. Qua nova re perturbatos reliquos de sua salute desperantes, et idcirco ad deditionem propensis eorum animis, de pacis condicionibus agere coepisse, quarum una fuerit haec, Uti ad unum omnibus libere discedendi daretur copia ac facultas. Ea re impetrata Seboctecinum, postquam sibi triginta, haeredibus vero Aldesberii triginta duo denariorum millia sumpsisset, arcem cum omnibus eius subsidiis atque opibus transdidisse.

Ita rediit regnum in potestatem Tsemalis Merdasidae, in eoque est a Mostanziro confirmatus anno cccccxxvi. Is tali modo restitutus aequam liberalemque regnandi viam ingressus



largitionibus muneribusque enixe studebat. Diu-  
turnitate oppugnationis permotus Tsemal sese  
converterat ad Theodoram Imperatricem Grae-  
corum, missoque legato opem eius atque auxi-  
lium imploraverat, suamque cum ea necessitu-  
dinem demonstrare contenderat. Nec frustra;  
namque illa precibus eius commota Tsemalem  
Halebi Magistrum constituit, eique Mocalledum  
patruem eius adiunxit Comitem, atque ipsi  
pro Magisterio Halebi dedit stipendia; Zalehum  
autem Tsemalis filium, Munium Mocalledi filium,  
Mahmudum Nazri filium, atque Athiam et Ha-  
sanum Tsemalis fratres, item Saïdam Mahmudi  
matrem Patriciorum adscripsit ordini, iisque  
omnibus stipendia persolvit, magnaue praeterea  
dona misit. Cum Tsemale eadem quae Nazrus,  
ut compositum fuerat, pendere solebat annua  
vectigalia paciscitur. Demonstravimus Mostanzi-  
rum decreto perscripto Tsemali Halebum as-  
signasse ea condicione, ut omnes quae in eius  
arce essent opes ei transderet. Huic Tsemal,  
postquam arce potitus est, ducenta tantummodo  
denariorum millia ex ea persolvit, detractis ad  
restituendam arcem atque eius domicilia cetera-  
que aedificia reficienda LXXV denariorum milli-  
bus; itemque ad reparandos qui interierant ap-  
paratus bellicos, quique deperierant militum  
numerum redintegrandum seiunctis millibus de-  
nariorum xxx; praeterea suo etiam privato

compendio serviens magnam copiam vasorum aureorum, argenteorum aliorumque, quae omnia e millibus denariorum quindécim aestimanda sunt, sibi reservaverat. Id vero factum, ut ei est enunciatum, graviter tulit Mostanzirus, tantum ex ea quam tulerit condicione deminui; qua re subortis inter ambos simultatibus atque inimicitiis, quibus adductus Tsemal ab eo deficit, ad arma facile deducta res est. Itaque a Mostanziro mittitur Halebum adversus Tsemalem Nazireddaula Hamdanida, quem post Aldesberium Damasco praefecerat. Is cum Abdelasiso Hamdanida et Schodjaeddaula Collidi filio ex urbe profectus atque ex itinere expugnatis Hematho ac Maarranomano anno ccccxxxix Halebum pervenit, urbemque circumivit, sed castra ad eam nulla pesuit. Oppidani aperta porta foras erumpunt atque in hostem impetum faciunt. At Nazireddaula facile eos terga vertere cogit atque in oppidum repellit. In ea fuga ac perturbatione, cum angustiis portae se ipsi premerent, millia hominum ut traditur decem septem perierunt. Deinde paululum ab urbe discedens Nazireddaula castra metatus est Zaldi, quod est oppidum non procul ab Halebo ad Covaicum fluvium positum. Hic subitam commutationem fortunae videre licuit. Qui modo victores discesserant, his a natura perniciēs parabatur; tanta enim noctu tempestas cooritur,

ut nunquam illis locis maiores aquas fuisse constaret: qua re factum est, ut permagnus tentiorum numerus submergeretur, hominum atque iumentorum, quae ad ripas dispersa concumberent, magna copia vi fluminis periret. Ipse Nazireddaula Halebo profugit et Damascum petit, quo cum pervenisset, a principe Moniredaula mense tertio anni ccccxl comprehenditur, atque in Aegyptum ablegatur. Iam vero Muisseddaula Tsemal, ut ei nunciatum est, Naziredaulam iter Halebum habere, ne Halebenses oppidi deditionem facerent veritus, eorum principes anno xl comprehendi vinctosque in arce collocari iusserat. Hi annum iam custodiam perpassi, postquam expeditio Hamdanidae male cecidit, anno ccccxlii vinculis liberati ab eo dimittuntur. Sed unum eorum, Scharifum Abualium Zalehidam, insimulatione Abulhasani Eisari filii, eius qui in Aegypto legati fungebatur munere, adductus interfici iussit; reliqui ea in quam nullo suo merito inciderant suspicione liberati sunt. Nazireddaulae conatu, ut docuimus, irrito facto Schodjaeddaula, qui Emessae praeerat, anno ccccxl in fines Halebensium incursionem facit, atque eos devastare coepit. Quare Celabitarum manu coacta et ex urbe atque agris collecto peditatu Mocalledus et Abulvafa, Muisseddaulae libertus, ad hostes tendunt. Ad oppidum Cafartabum uterque utrique venit

exercitus in conspectum. Commisso praelio Schodjaeddaula fugam capit, atque persequen-  
tibus Celabitis a Djafare Camili filio interfici-  
tur, caputque eius Halebum perfertur. Fugatis  
Schodjaeddaulae copiis Mocalledus Hemathum  
proficiscitur, urbemque, postquam eius arcem  
aliquot diebus oppugnavit, in potestatem suam  
redigit. Inde cum Emessam iter faceret, reperit  
Mensuum cum exercitu Damasco profectum iam  
eo pervenisse. Is autem adventu Mocalledi  
cognito intra oppidi moenia sese recepit. Primo  
omnibus viribus se defendit, post aquae penuria  
permotus in fidem Mocalledi venit. Deinde  
Abulfadhhus eunuchus sive anno ccccxli, sive  
ccccxlii (utrumque enim traditur) a Mostanziro  
magna cum manu Halebum missus ad oppidum,  
qua locus publicus Aldjofi situs est, castra  
ponit. Ibi Arabes Calbitae omnia simulatione  
ac dolo agere, atque Abulfadhlo insidias parare.  
Quod ubi duces eius exercitus animum adver-  
terunt, ut ab Halebo discedat et Zaldaum iter  
dirigat, eum monent. At ille id facere negligit.  
Suadent iidem, ut Thaitarum Calbitarumque  
principes comprehensos in custodiam transdat.  
Ne id quidem facit. Additur, simularet allatum  
nuncium de Sultani decreto, quo decreto Syriam  
Muisseddaulae assignaverit, eamque interponeret  
causam, cur reverteretur, ut qui summum agno-  
sceret imperium. Ne tum quidem illis obtem-



perat. Itaque cum duces exercitus ad sua indicia suasque hortationes non animadvertere illum intelligerent, cumque praelio commisso Arabes e vestigio fugam caperent, ne ipsi quidem e pugna discedere dubitant, neque Abulfadhli iussu revocati dicto audientes sunt. Emissus deinde ex urbe equitatus, qui cum eo confligeret, non ita magno numero. Is ubi fugientem conspicatur exercitum, non sine aliqua doli suspicione eum persequitur, magnaque praeda facta in latere montis Djauschani in ipsum incidit Abulfadhlium. Hic tribus acceptis vulneribus capitur, vinctusque in arcem Halebensem deducitur; ibi graviori capitis vulnere confectus moritur. Hoc praelio facto Tsemal Muisseddaula gratiam Mostanziri sibi reconciliare studet eiusque animum permulcere. Itaque iustam praedae partem per Scheicheddaulam Eisari nepotem ad eum in Aegyptum mittit, simulque Vatsabum filium suum, suamque uxorem Saiidam, cumque his de arcis opibus XL denariorum millia, et pretiosa ac splendida munera. Accipiuntur a Mostanziro benigne honorificeque; is enim his rebus dat permotus manus confestimque perscribit decretum, quo Muisseddaula in possessione regni Halebensis confirmatur; praeterea eius uxori peculiare decretum fieri iubet, quo ei omnia ea quae ab ipso petierit concedantur. Quibus rebus confectis Saiida

Halebum revertitur. In his Tsemal acquiescit condicionibus, otiumque bello praeferebat omnibus viribus atque opibus in iustitiam incumbit. Hoc cum essent statu res, cives bono usi reipublicae administratore laeti pacis fruebantur commodis.

Anno ccccxliiii Tsemal Scheicheddaulam Eisari nepotem pro legato cum imperatis annuis vectigalibus privatisque donis Constantinopolim mittit. Hunc Graeci, quod et animi magnitudine et formae dignitate multis partibus ceteris praestare legatis viderent, praecipuis honoribus adficiendum sibi censuerunt. Itaque Comitem eum designant loco Mocalledi Camili filii; Mocalledum vero Magistrum declarant, quem locum obtinuerat Tsemal; hunc denique et ipsum altiore honoris gradu splendidisque insuper muneribus augment. Altero fere ex eo tempore anno Abulnazrus Fachareddaula Halebum venit; eum Tsemal rebus suis administrandis praefecit, eiusque omnia arbitrio agi volebat. Qui cum rem bene gereret, proventus duplicaret, provincias adornaret, tamen invidiam effugere non potuit; neque enim deerant, qui dignitati eius et benevolentiae qua fruebatur singulari invidentes eum apud Tsemalem detrectare studerent. At Tsemal Muisseddaula, qui ei multum faveret atque indulgeret, ipsum ea de re fecit certiozem, petentique ut sibi discedere liceret, eius rei fecit

potestatem. Itaque anno ccccxlvi Halebo cessit atque ad Mervanidam contendit. Huius discessu civitati praecerat Sadideddaula Abulcasimus, donec a Tsemale Halebum Mostanziro transderetur. Quo facto Sadideddaula in Aegyptum se contulit, ibique ei a Mostanziro summa imperii commissa est; sed decem post diebus ab eodem est imperio exutus; mox restitutus in pristinum die decima iterum discessit. Insequentis anni mense primo Tsemali imperii maiestas solenni more delata est per Abulghanaium Zalehum, qui missu atque iussu Mostanziri ex Aegypto venerat. Sed Tsemal Muisseddaula summae in se voluntatis atque egregiae fidei, qua Scheicheddaula Eisari nepos omni tempore erat usus, parum memor eo quem gesserat magistratu eum exiit, substituitque in eius locum Salimum ac Moslimum, Alii Taghlebidae filios. Qua re Scheicheddaula diutius Halebi morare pertaesus sibi timens, si ibi mansisset, profectionem in Aegyptum praetendens urbe excessit. Tsemal vero Muisseddaula Salimum cum muneribus ad Theodoram Imperatricem Graecorum mittit, petitque ab ea, ut quem honorem habuerat Scheicheddaula in Salimi personam transferat: illa acceptis muneribus eius voluntati morem gerit, Salimum loco Scheicheddaulae Comitem constituit, onustum donis domum remittit.

Hoc ipso anno (CCCCXLVII) Basasirius, is qui oppido Bagdado potitus est, a Thoghrolbecco fugatus in Syriam est compulsus. Huic cum parva peditatus manu in finibus Rahabae sese confirmanti atque colligenti obviam proficiscitur Tsemal, summis eum honoribus afficit, magnisque opibus locupletat. Negant quidam e Celabitis, sese unquam alias ante tantum in uno homine et fortitudinis et astutiae et doli, quantum in illo fuerit, vidisse coniunctum. Iam vero cum Tsemal equum adscenderet, illeque ad eum accurreret, ut stapides eius pedi ad-moveret, vestesque in ephippio concinnaret, Celabitae subita eius capiendi cupiditate incendebantur. Abnuit rem Muisseddaula; quod factum mox sera poenitentia consecuta est. Nam Basasirius iter Balesum direxit, atque ad ripas Euphratis in hiberna proficisci constituit. Ibi ad eum magnus Arabum et Turcarum numerus convenit; quae res Tsemalem timore percudit vehementerque sollicitum habuit. Iam ante hoc tempus Tsemal sese propensum ac paratum ostenderat, Rahabae ei portas aperire; id quod ille tum temporis repudiaverat. Commutato autem rerum statu anno CCCCXLVIII ultro id oppidum ab eo exposcebat, quo familiam atque opes suas collocaret. Neque Muisseddaula Rahabam in illius potestatem transdere dubitavit; erat enim singulari homo



liberalitate et mansuetudine, quo factum est, ut et Halebensibus acceptum esset eius imperium, et ipse omnium rerum copia abundans secundatum frueretur fortuna. Hac igitur opulentia ac fortuna cum vigeret Tsemal, neque hostium qui eum bello lacesseret ullus esset super, Celabitaee adversus eum concitati sunt, qui iis quae Muisseddaula ipsis concesserat parum contenti maiora concupiscere coeperunt, eumque vehementer urgere atque detrectando de suo illatae sibi iniuriae incusare. Hi cum in dies acrius instarent, Muisseddaula hac necessitate coactus conservandique otii causa Raccam et Raficam Munio Schabibi filio, Vatsabi nepoti, Nomairitae, anno ccccxlix transdidit, propterea quod ea oppida ante possederat eius pater, quodque ipsius amita erat Saïida, quae nupsit Tsemali Muisseddaulae, postquam huius fratri Nazro Schableddaulae erat nupta, eique Mahmudum perpererat; atque haec ipsa erat, quae patris sui stipatori eorum oppidorum imperium ademit, sic uti supra demonstratum est. Atque illa quidem oppida Munio restituit: neque tamen eo Celabitas placavit, qui eum iniuriis incursionibusque lacessere non desierunt, adeo ut Tsemal tantis incommodis acceptis permotus literas ad Mostanzirum daret, quibus Halebum in eius potestatem permittit rogatque, ut sibi pro ea possessione aliam a Celabitarum sedibus remotam attribuat, quo

ab illorum maleficiis tutus sit, eorumque potentiam procul habeat. Mostanzirus eius voluntati libenter morem gerens pro civitate Halebo Beryti, Accae et Djobaili ei imperium adiudicat; Halebum vero mittit satrapes suos Macineddaulam Malhemidam et Aineddaulam Abulhasanum, qui oppidum in fidem ac potestatem acciperent; cum his est una profectus Abumohammedus Abdalla, qui Tyri index constitutus erat. Deditio urbis atque arcis facta est mense undecimo anni ccccxlx. Idem ille Macineddaula ante id tempus Raphaneis praeerat res bellicas tributaque in oppido Halebo administrans. Ea autem ipsa nocte, qua oppidum a Tsemale traditum est, fiebat, ut arcis pars ea quae ad orientem vergit, incendio consumeretur. Oppidi deditioe facta, ut docuimus, arci praeficitur vir quidam nomine Rocneddaula. Quibus rebus confectis Tsemal una cum Aineddaula et iudice Tyrio, quem supra memoravimus, in Aegyptum profectus tantis honoribus tantaque munificentia est a Mostanziro exceptus, quantis nemo unquam alias ante, qui ad illam aulam adiret, neque ab ipso neque a maioribus eius affectus est. Singulis separatim diebus, usque dum in Aegyptum pervenit, trecentis eum denariis donavit; opum vero et gemmarum et supellectilium tanta copia, quantam nemo homo unquam dono accepit. Et si quando Sultanus

equitaret, Tsemali talis honos tributus est, ut priore loco equo veheretur, Sultanus pone sequeretur, isque sui equi capite illius caudam contingeret. Cumque Muisseddaula in Aegypto minus bona uteretur valetudine, Sultanus non gravatus est adscendere equum, domum eius advectus ante portam subsistere, venientem ad se foras de sua salute exquirere. Atque Macineddaula quidem Malhemida in imperio Halebi exercendo ita est versatus, ut erga cives iustitiam servaret, atque aequa usus regnandi ratione, omnibus se gratum ac liberalem praeberet, neque iis gravia onera iniungeret. Idem complures in oppidi moenibus turres excitare instituit, eique rei operam impendit usque ad annum CCCCLII, quo anno Celabitae novo occupandi Halebi cupidine adacti iterum adversus id oppidum bellum facturi congregantur. Nam cum Basasirius, qui Aegyptiorum agnoscebat principatum, et anno CCCCLI Bagdadi solenni more se eorum imperio subiecit, a Toghrolbecco magna manu praelio superatus atque interfectus esset, Athia Asadeddaula Merdasida Rahabam contendit, quod oppidum in Basasirii venisse potestatem supra ostendimus, ibique, omnibus Basasirii impedimentis in eo oppido relictis, immensa armorum copia iisque optimaе notae, ceterisque maximis eius opibus potitus, quendam de suis praeficit. Hac victoria ac praeda

elati Celabitae ipsum iam Halebum capere concupiverunt, magnoque studio id quod constituerant perficere agebantur. Ad eam rem conficiendam Mahmudus Nazri filius, Zalehida, deligitur imperator, quod eius pater Schabledaula ante id tempus Halebum obtinuerat. Is sexto mense anni CCCCLII cum Celabitis Halebum profectus, oppidum oppugnare instituit, diebusque septem in eo negotio frustra consumptis, desperata expugnatione oppidi, obsidionem omittit, et cum Munio Mocalledi filio, qui una cum ipso erat profectus, discedit. Dum haec a Mahmudo geruntur, iuventus Halebensis non meritam sibi a Macineddaula pecuniam dari flagitant, quam cum ille denegaret, propterea quod suum quisque iam accepisset, atque etiam stipendiarias ab eo pecunias praecepissent, illi rebellionem tentant, sumptaque perfidia mittunt ad Mahmudum nuncium, qui ei persuadeat, ut revertatur. Is ubi oppido appropinquat, rebelles in Mohtamideddaulae, qui in Syria pro iudice erat constitutus, et Tsihri Djelaleddaulae, aestimatorum populo virorum, domus irrumpunt, atque eas diripiunt, earumque sessores nudis pedibus apertoque capite eiiciunt atque in praedia Arabum depellunt. In eorum numero erant Candius, Ibnalsacarius, Ibnantara, Ibnalnacidus. Tum advenienti cum Celabitis Mahmudo oppidum transdunt die Lunae ineuntis mensis sep-



452

timi anni CCCCLII. Macineddaula vero Malhemida in arcem se recepit, munitionibus se defendit ac legatum auxilii petendi causa in Aegyptum misit. Eo nuncio adductus Nazirreddaula Abualius Hamdanida, eius Nazirreddaulae qui temporibus Muisseddaulae Halebum obsederat filius, magna cum manu et Africano milite valida iis qui in arce circumsedebantur auxilio proficiscitur. Is ubi Emessae, quo loco castra posuerat, de Celabitarum Chafadjitarumque adventu cognoscit, castra movet, Baalabecam revertitur; hi enim copias contraxerant, obviam ierant. Celabitae persequendum esse statuunt: id ne fieret, Asadeddaulae Athiae Merdasidae dissensione fiebat; huius discessu reliquus exercitus dissolvitur, atque domum redeundi consilio capto Cinnestrinum versus iter facit. At Nazirreddaula propius accedens Apamiae castra metatur; eo quam maximum potest Celabitarum numerum auxilio vocat; venientes quadraginta iuramentis adstringit summisque habet honoribus. Hac ratione eorum voluntates sibi devinxisse arbitratus, iter ingreditur ac Sarminum pervenit. Huius adventu audito, Mahmudus quique cum eo Halebum occupaverant Celabitae in Orientem versus fugam capiunt. Simul oppidum egressi urbanorum militum ii quorum opera ille Halebo potitus erat, cum his unis castris erant coniuncti. Tum vero Macineddaula cum suis protinus ex

arce erupit, oppidum diripuit, omnibus urbani  
praesidii militibus quos ibi invenerat, ad nu-  
merum quadraginta interfectis; quorundam etiam  
corpora per vicos urbis lignis suspendi iussit.  
Nulli vero paulo illustriori urbis loco praeda-  
tores, locorum gnari, pepercerunt, magistratum  
aeque ac mercatorum aliorumque opes abstulerunt.  
His rebus gestis, Nazireddaula accessit astu,  
idque praedae avidus diripere constituit. Sed  
cum ei ostenderent, praevortisse eum Macined-  
daulam, neque quidquam reliqui fecisse, adeo  
ut nullus direptionis fructus foret, eam omisit:  
sed tamen ab Halebensibus quinquagies mille  
denarios poposcit pro eo quod a dominatione  
Mahmudi eos liberasset. ne id quidem impe-  
travit; cumque sub eius imperio sese futuros  
pollicerentur, id repudiavit, additis minis, Sese  
Fasdicum profecturum adversus Mahmudum,  
quem pro facinore eius ulciscatur, reversumque  
de Halebensibus vindictam sumturum. Itaque  
cum quindecim millibus equitum Halebo pro-  
fectus est Fasdicum, qui locus hoc tempore  
vocatur Collis Sultani. Quo cum castra posuis-  
set ex adversus Mahmudum, qui minus millibus  
duobus militum eodem consederat, Celabitae ac  
Thaiitae Nazireddaulam deserunt; relictus a  
sociis exercitus, conflictatus aquae penuria, pro-  
fligatur. In eo praelio capiuntur Nazireddaula  
a Donaino Abnucalbi filio, Celabita, omnesque

فيس



eius exercitus centuriones. Exercitus omnibus impedimentis a Celabitis exiit, magnus numerus interficitur, nisi spoliatus omnibus rebus ac nudus dimittitur nemo. Mahmudus, postquam Principem Nazireddaulam captum esse cognovit, duobus millibus et septingentis denariis eum a Donaino, alii volunt minore pretio, in suam potestatem accepit. Item fratrem Nazireddaulae, quem quidam e Celabitis, nomine Habar, vivum ceperat, multa pecunia ex eius manibus redemit. Eodem autem tempore, quo profligatus est Nazireddaula, Athia Asadeddaula, Merdasida, Halebum pervenerat, dieque quinto oppido ab Aegyptiis in deditionem accepto, aliquamdiu civitati praerat. Dicitur autem a Malhemida imploratus auxilio Halebum venisse. Sed praelio ad Fasdicum facto, et adventu Mahmudi perterritus, Athia ex oppido profugit die Iovis ineuntis mensis octavi vesperscente iam coelo. Itaque Mahmudus regnum in potestatem suam redigit die secundo eiusdem mensis, qui fuit dies Veneris, anno CCCCLII. Id vero factum inter rarissimos atque admirabiles historiae Halebensis eventus narratur, tribus deinceps diebus tres Halebi imperatores regnasse. His rebus gestis, Macineddaula Malhemida et Rocneddaula, praefectus arcis, auxiliorum ex Aegypto sibi submittendorum spe depulsi, ac desperata Halebi recuperatione, internuncium ad Mahmu-



dum de constituendis deditionis condicionibus mittunt, arcemque die decimo mensis octavi transdiderunt, acceptis obsidum loco e Celabitis filio Mahmudi, Nazri filii, et filio Sablae, Djamii filii, et filio Mahmudi, Saiidae filii, et filio Menzuri, Rocaibi filii. Hos dimissi a Mahmudo atque conservati Principes sibi in castello Apamiae in custodia collocant obsides pro sua exercitusque incolumitate, et opum suarum securitate; quo facto Halebum redeunt. Ac Naziredaula quidem in Mahmudi custodia permansit usque ad expeditionem Muisseddaulae ad recuperandum Halebum factam, quo tempore agente ac precante Munio, Vatsabi filio, una cum ceteris quos in vinculis habebat principibus centurionibusque, liberalitate in eos adhibita, a Mahmudo in Aegyptum incolumis est dimissus; sed Naziredaula in illa calamitate apud Fasicum accepta debilitata manus est; tamen reversus in Aegyptum a Mostanziro Damasco praeficitur. Iisdem vero temporibus, quibus Mahmudus Halebum cepit, Muisseddaula, eius patruus, in Aegypto versabatur. Allato autem nuncio de rebus a Mahmudo gestis, Mostanzirus Muisseddaulae imperium Accae, Beryti et Djobaili adimit, eam interserens causam, quod ea loca acceperit pro Halebo; at eam urbem nunc in potestatem Mahmudi, patruelis sui, redisse, quare Halebum contenderet, idque ab eo repe-



teret. Hac re adductus, ac tali consilio probato, Muisseddaula rem suscipit, et ab Aegyptiis opibus adiutus, nominibusque honorificentissimis cumulatus, Halebum proficisci parat. Literis ad gentiles suos circummissis, quibus literis eorum operam implorat rogatque, uti Emessam sibi obviam veniant, eorum parti quidem maiori Emessae, parti Hemathi occurrit, ipse cum exercitu Aegyptio, cui praepositus erat dux Alameddinus, eo veniens. Ubi Maaromanum perveniunt, octo diebus in eo oppido commorantur, non sine oppidanorum maleficio ac damno; namque Arabes, gravissima cum esset hiems, in eorum habitaculis considentes eos premebant. Tum vero Mahmudus Abumohammedum Abdallam, Chafadjitam, legatum ad Imperatorem Graecorum mittit auxilii petendi causa, isque apud Graecos permansit eo usque temporis, dum Muisseddaula Tsemal Halebo potitus esset. Interim appropinquanti, iam iamque ad urbem adventanti Tsemali Mahmudus portas praeclosit. Sed pars praesidiariorum militum portam Cinnerinensem Muisseddaulae aperit. Hac irrumpentem hostem, iamque ad viam filiarum usque progressum Mahmudus, ex arce eruptione facta, loco deiicit atque ex oppido expellit; eoque praelio suorum militum desideratus est nullus. Expulso adversario, eius proditionis auctores comprehendi iubet: idque

factum est mense extremo anni CCCCLII. Quibus rebus confectis, Munius Schabibi filius cum Nomairitis Mahmudo auxilio venit, seseque in arce Halebi cum eo coniungit. qua re permotus Muisseddaula ab oppido discedit. Munius autem cum Nomairitis diebus fere viginti ibi commorabatur, hospitio usus Mahmudi; atque eo tempore accidit, ut ei dimittendi Naziredaulae Hamdanidae causa et auctor fieret. nam huius consilio adductus Mahmudus mactatum honoribus magnoque equorum comitatu illum in Aegyptum dimisit. Deinde ab urbe profectus est Mahmudus Arabum contra patrum suum cogendorum causa. Id ubi rescit Muisseddaula, duobus iam profectionis suae diebus confectis, iter supprimit, atque Halebum revertitur; inde ad propulsandum Mahmudum profectus eius exercitum adsequitur, ac praecipitem in fugam coniecit. Fuis copiiis, Mahmudus e fuga Halebum se recepit, atque extremo mensis secundi anni insequentis tribus omnino comitatus equitibus oppidum ingressus est. Magnus autem numerus militum et qui cum eo fuerant e praesidio urbano a Muisseddaula capiuntur. Sed Zobbus, qui in eorum erat numero, accepta fide in arcem confugit; hunc tamen Mahmudi praefectus, ne sibi ab eo insidiae struerentur veritus, comprehendit, comprehensum in vincula dat. Post haec Mahmudus ab Hosameddaula

Munio Mocalledi filio petit, ut, quemadmodum ante hoc tempus fecisset, cum a Nazireddaula hostili peteretur exercitu, ita nunc adversus patrum suum ei auxilio veniat. Is diem sibi temporis ad deliberandum sumsit, eoque transacto eius praefecto respondit: Sine dubio Muisseddaulam iustiozem habere causam, atque indignum Arabibus adiuvere filium adversus parentem, seseque potius id acturum, ut, si Deo placeat, eorum controversiae componantur. Sed antequam hoc responsum daret, noctu ad Muisseddaulam se contulerat. Id vero responsum aegre ferens Mahmudus, Abulalam Sommanidam, Christianum, qui ei a secretis erat, versus componere iussit, quibus versibus superioris suae cum eo societatis mentionem faceret, ac praesentem amicitiae repulsam exprobraret. Hos ut acceperunt versus Munius et Muisseddaula, haud aequo animo tulerunt, ut infra referemus. Post neque ita multo actum est inter Tsemalem et Mahmudum de oppidi deditioe, agentibus senioribus tribus. Hi decreverunt, Restituatur Muisseddaula in locum pristinum; Mahmudus eas quas elegerit possessiones accipiat. Aequum hoc visum est Mahmudo: nam illum quidem, docuit, haereditarium deperdidisse regnum; seseque suis id armis suoque sanguine in suam redegissee potestatem. Itaque ad condicionem accedit. Neque vero Muisseddaulam fugiebat,

quam id verissime praedicaret Mahmudus; quare pro victu ei constituit quinquaginta denariorum millia, et frumenti modios tricies mille, idque testibus senioribus confirmat. His rebus confectis, Mahmudus Halebum rediit ultimo die mensis quarti; iam vero die xxiv, qui fuit dies Mercurii, eiusdem mensis anni ccccliii pax inter eos erat sancita, apertisque portis receptus est. Deinde urbem egressus ad patrum suum in castra contendit, eumque ad se invitavit die Lunae ineuntis mensis quinti huius anni; inde in arcem illum introduxit, quam ei transdidit. Quo facto Mahmudus ad tribum suam profectus est adducendae familiae suae gratia. Muisseddaulae vero cum arx in fidem ac ditionem concederetur, quosdam ex Halebensibus, nobilissimos urbani praesidii, expulit, et quindecim comprehensos cruci affigi iussit. Eodem tempore ad Mostanzirum literas dat, quibus eum certior facit de recuperato Halebo; quo ille nuncio accepto mittit ad eum Thsafarem, Mostafadi libertum, qui ipsi et eius fratri filiisque, et Hosameddaulae Munio Mocalledi filio more Arabum pallia honoris causa transderet. Is ut in urbem pervenit, suspensos ligno conspexit, eiusque precibus statim desumpta eorum corpora sepulta sunt. Restituto, ut docuimus, in regnum Halebi Muisseddaula, inter alios etiam Abulala Sommanida, de quo supra commemo-



453.454

ravimus, ad eum gratulatum venit. Quem ut conspicatur Muisseddaula, dato impetu eum hasta petit. Quo animadverso Abulala e vestigio de iumento suo se deiecit, aversusque e conspectu eius effugit. Profectus Antiochiam, ibique Episcopus factus eo munere functus est usque ad mortem suam.

Haud multo post inimicitiae exortae sunt inter Tsemalem et Munium Vatsabi filium, qui tum temporis Rahabae degebat. Ex ea urbe qui eum depellat mittitur a Tsemale Asadeddaula Athia, eius frater, octavo huius anni mense. Hic, expulso Munio, oppido potitus, a Tsemale desciscit, imperium occupat. Hoc facto, Mahmudus una cum Saiida, matre sua, Halebum reversus apud Muisseddaulam, patrum suum, conversabatur. Ea occasione Saiida sua intercessione perfecit, uti Munii fratris ac Muisseddaulae coniugis sui controversiae componerentur. Insequentis anni (CCCCLIV) mense primo Graeci Casthunum et Ainettamar, duo castella, exaedificant; eam ob causam Muisseddaula, incursione in Graecorum fines facta, castellum Artahum vi expugnat. Eo nuncio percussi Graeci legatos ad eum mittunt pacis petendae causa. Ille per Schafium Zufii filium iis respondet his verbis, Sese pacem non facturum priusquam castella illa nuper excitata solo aequaverint; praeterea postulare, ut castellum Lilunum, in quo nullas

opes habeant, Moslemis transdant, et pro castello Artahensi, pecuniam solvant; id si fecissent, hoc posterius ipsos recepturos. Talibus pactionibus cedente Graeco pace facta, Muisseddaula secundo die mensis septimi Halebum est reversus. At Graeci fidem non servarunt, sed partem tantum eorum, quae erant polliciti, praestiterunt. Erant autem nonnulli e praesidiariis Halebensibus, qui Antiochiam profecti cum eius oppidi praefecto de traditione Maarramezrini consilia inirent, atque hoc facto initio ulterius progredi tentarent, cum contenderent, Halebenses suis regi imperiis. Re cognita, Muisseddaula horum aliquos dolo illectos interfici lignoque suspendi iussit. Hoc factum est nono huius anni mense. Insequenti mense Graeci Acabam hostili invasione adoriuntur, oppidum diripiunt atque incendunt. Ea de re facti certiores Menzurus Djabiri filius et Hariba Abdallae filius, principes Arabes, Graecos insecuti, quamvis parva manu eorum copias multis partibus maiores aggressi, praelio superant, numerum hominum mille et quingentorum occidunt. Medio fere eiusdem mensis Muisseddaula expeditionem adversus Graecos suscepit, Caibarum profectus oppugnatum, oppidum vi atque armis expugnavit, idque diripuit. Viros ad unum omnes trucidavit, mulieres impuberesque in servitutum abstraxit. Post id factum initio sequentis mensis

454

in morbum implicatus est. Eo nuncio commota ac turbata civitas. Id ut audivit, Athiam fratrem advocat, eumque testamento regni haeredem constituit, reique publicae praeficit. Quibus rebus constitutis, die Iovis sexto ante finem mensis undecimi anni CCCCLIV diem obiit supremum. Sepultus est in arce eodem loco, ubi iacebat Ibrahimus Fucanius, intra portam Gazensem. Muisseddaulae sepulcrum monumento decoratum est, quod usque ad tempora imperii Ridhvani mansit, a quo est dirutum atque eius loci solum lapidibus stratum.

Ea quae secuta est die Veneris rempublicam capessit in fratris sui locum succedens Asadeddaula Athia, Merdasida. At Mahmudus Nazri filius, posteaquam is nuncius in vicum tribus suae, ubi tum degebat, allatus est, huic testamento prorsus adversatus, ad eius promulgatorem nuncium mittit qui suis verbis diceret: Muisseddaula cum civitatem meis armis ex Aegyptiorum potestate ereptam ac liberatam a me recepit, eo se obstrinxit pacto, ut eam moriturus in meam ditionem redderet; etenim a patre meo regnum haeres accepi. Assentiunt seniores tribus, atque ea quae memorabat congruere veritati iudicantes in oppugnando Halebo eum adiuvant. Ipse vero bellum ita agere instituit, ut quovis tempore provinciam invaderet, segetes depasceret; eaque direpta atque

exinanita rursus reverteretur. Sed mense tertio anni CCCCLV cum denuo solita ratione instaret, et ad fontem Sailamum cum suis consedisset, Asadeddaula Athia ab urbe profectus cum adoritur, atque magna praeda facta in fugam dat. Hoc praelio facto Schableddaula et Mohammedus Rocaibi filius aliique e Celabitis sese cum Mahmudo coniungunt; neque tamen cum ea manu Halebum proficisci ausus est, quod opidum Athia suis copiis occupatum tenebat; sed in praesentia satis habuit Cinnesrinum oppugnare. Postea vero quam Saifeddaula Munius Mocalledi filius ad eum transgressus est, maximis adauctus opibus non dubitat Halebum accedere, idque aliquot menses obsidet. Ea obsidione Munius Mocalledi filius misso e muro tormento ictus interficitur. Alii tradunt infimae hominem condicionis lapide funda iacto eius tempora percussisse, eoque vulnere aliquot diebus post esse mortuum. Id accidit ante diem decimum mensis decimi huius anni. Omnium vero bonorum, quae possederat Munius, haeredem constituit Asadeddaulam Athiam, avunculum suum, adversus quem hoc ipso tempore bellum gessit. Erat autem ei talis possessio, ex qua quotannis denariorum millia octoginta redirent. Item in castello, cui Novati nomen est, trecenta denariorum millia habebat deposita praeter cetera armamenta ac suppellectilia magni pretii. Is



rebus suis Abulhasanum Alium Halebensem praeposuerat, ad quem summa imperii respiceret. Hunc ante id tempus ad se vocaverat Asadeddaula Athia, uti apud se stipendia mereret. Id ille tum recusaverat. Mortuo autem Munio, ultro Halebum reversus ab Athia comprehensus atque interfectus est, eo quod oblati muneris sibi datam repulsam aegerrime ferret, simulque suspicaretur, eius auctoritate adductum Munium se cum Mahmudo coniunxisse ad oppugnandum Halebum. Interfecti corpus ligno suspendi iussit. His rebus gestis Athia ac Mahmudus pacem ineunt tali condicione, ut Mahmudo possessiones adiudicentur viginti quinque denariorum millium, inque his sit Sarminum, ceterae in civitate Halebensi. Haec iureiurando confirmant, pacta praestant. Medio autem mense sexto anni CCCOLV<sup>r</sup> Tsabitus Muisseddaulae filius Maarranomanum, Cafartabum et Hemathum Mahmudo transdidit, quae oppida antea obtinuerat patrum potestate. Idque ea de causa. Concitati denuo in finibus Sizarae ad arma concurrerunt Celabita, Schablus, Djamii e Saïda nati filius, Mohammedus Saïdae filius, Menzurus Rocaibida, Hoseinus Camili filius Duchida, aliique multi ex ea tribu. Asadeddaulae Athiae provincias invadendi inuito consilio, Hemathum et Cafartabum capiunt; inde Maarranomanum profecti ab Sahameddaula Chalifa, qui ibi praeerat, postquam de sua sa-

lute impetravit, id oppidum in deditionem accipiunt. Quibus rebus confectis, Halebum contenderunt, ac non procul ab urbe constiterunt. Hac re audita Athia Halebo profectus ad Mahmudum pergit, qui tum Maledi erat. Contenditur praelio. Profligatur Athia, Halebumque fugam capere cogitur. Quo facto Mahmudus cum Celabitis ad urbem accedit, eamque comeatu intercludere et obsidione oppugnationibusque acerrime premere coepit. Magna iam fames magnaue omnium rerum penuria tolerabatur; iamque iuventus ad defendendam urbem constituta ab Athia suis sumptibus sustentabatur, cuius opera ceteri oppidani a traditione arceantur, cum tandem summis rerum angustiis permotus Asadeddaula cum Mahmudo, patrueli suo, de pace agere coepit, convenitque inter eos: Athiae obveniant Halebum, Rahaba, Balesum, Manbega, Asasum, Cinnesrinum: ceteras omnes possessiones praeter haec memorata loca Mahmudo Zalehidae transdat. His conditionibus pax inita est. Postea vero Athia Harunum Chacani filium auxilio vocavit. Is tum in sedibus Mervanidarum commorabatur, patris sui, regis Turcarum, discordia atque ira ductus. Simul a Graecis pecunia est adiutus Asadeddaula, gratias ei agentibus pro impetratis induciis; neque conferendis in eum honoribus abstinent. Accitus, ut docuimus, Harunus cum

mille sagittariis ad urbem accedit. Hi honorifice excepti atque in hospitium recepti ante portam Halebi castra ponunt. Erat autem ea prima Turcarum in Syriam ingressio. Hac re nunciata, congregantur ad Mahmudum Celabitaë, eiusque ductu Halebum ire contendunt. Sed ubi eo perveniunt, Mahmudus intellecto, sese Turcis non esse parem, se fugae mandat. Deinde per internuncios de pacis condicionibus actum est, constitutumque: Halebum, Rahabam, Manbegam, Asasum, Balesum, quaeque his adiuncta sunt loca Athia obtineret, reliqua omnia ab Atsarebo versus meridiem sita, quae habuerat antiquitus quaeque sub imperio Tsemalis Muisseddaulae possederat, Mahmudus. Id negotium conficitur mense primo anni CCCCLVII. Post haec Asadeddaula Athia una cum Turcis ac praesidiariis Halebensiū militibus expeditionem suscepit, expugnatoque Comnuno, eius oppidi cives in servitutem abstraxit, onustusque praeda domum reversus est. Cum autem Harunus Chacani filius simul cum eo oppidum Halebum intrasset, Halebenses aequè atque Athia eum vehementer pertimescere coeperunt. Quare incitatum ab Athia praesidium Halebense mense secundo huius anni noctu in eum irrumpit, magnoque numero occiso, rapinis animum intendit. Is omnibus impedimentis exutus, in equum illatus fugam capit, egressus urbem sub arce subsistit ac

magno clamore Athiae perfidiam exprobrans in Orientem versus discedit. Pars suorum Mesopotamiam petentes ab Nomairitis omnibus rebus sunt spoliati. Reliqui pedem referentes ac revertentes in Graecorum exercitum incidunt; neque relinquebatur quam ut conarentur, si perrumpere possent. Erant autem Graeci numero viginti millium, Turcisque per mediam suorum aciem viam patefaciebant, ita facillime se eorum potiri posse existimantes. At illi maximo impetu perrumpentes evaserunt incolumes, magnamque Graecorum copiam occiderunt: ita centum circiter et quinquaginta ex iis conservati sunt. Hos contra cum Coraithitae Arabes, et tribus Rabia ben Caab aliique insurrexerunt, monuit dux nomine Camar regem, ut honeste mori, praeoptaret, quam suam salutem Arabibus committeret. At ille ad eius verba animum non advertens ad Menzurum Djabiri filium confugit. Is, principio quamvis munifice eum exceperit, post tamen, sic uti ille praeviderat, fraude circumvenit, partemque eorum trucidavit; in iis Camarem ducem. Harunus vero Chacani filius incolumis conservatus cum reliquiis exercitus sui ad Mahmudum contendit, qui tum Sarmini erat. Ab eo in fidem acceptus ac Maarranomanum missus est. Hoc tempore Mahmudus filium suum ad Graecos Antiochiam misit pro obside. Hunc illi summis honoribus



summaque munificentia excipiunt, stipendium ei in singulos dies quinquaginta denariorum constituunt, interque alia munera, quibus eum donarunt, etiam aureum fuit sceptrum, quali apud Arabes equites uti consueverunt, eiusque pondus pro trecentis ducatis aestimabatur. Hoc facto Mahmudus, congregata quam maxima Arabum vi, atque adsumpto in societatem Haruno iisque qui eum sequebantur Turcomannis, in pascua Dabecensia profectus ibi consedit. Id ut audivit Athia, magna e pastoribus aliisque hominibus manu collecta, die undecimo, qui fuit dies Iovis, mensis septimi anni CCCCLVII ad hostes pergit. Fit utrimque impetus. Profligatur Athia Halebumque se recipit. Insecutus cum omnibus copiis Mahmudus oppidum circumsedit. Hac obsidione cum includeretur Athia, Thsafar Mostafadi libertus legatus ad eum pervenit missu Mostanziri, honorificis eum cognominibus ornans. Centum amplius duobus diebus obsessum tenebatur Halebum, quibus transactis Asadeddaula Athia oppidum Mahmudo, patrueli suo, transdidit, gravem oppugnationem magnamque famem perpressus. Ipse Athia Rahabam, Asasum, Manbegam, Balesum omniaque praedia obtinuit, quae Halebensibus ad orientem ac septentrionem spectant. Recepto Mahmudus Halebo sinceram cum patruo suo pacem sancivit, libentissimis Arabum animis,

urbemque ingressus est die Saturni medio mense nono anni CCCCLVII. Athia vero Asadeddaula Rahabam habitatum concessit. Quibus rebus confectis Mahmudus oppidum Maarranomanum Haruno Chacani filio, regi Turcarum, assignavit, qui die Mercurii, decimo septimo mensis decimi anni insequentis id oppidum intravit, comitatus a Turcis, Deilamis, Curdis atque Audjis ad numerum mille praeter calones. Hic ante portam, ubi publicae preces fieri solebant, castra habebat: suorum autem nemo erat, quin hortis olitoriiis, vineis aliisque rebus abstineret; neque quidquam ab ullo gratis accipiebant; ipsa adeo iumenta eorum nisi empta aqua non utebantur. Nihilo tamen secius Arabes iis praesentibus magno terrore complebantur. Quo liberati sunt timore, cum Harunus a Mahmudo Halebum auxilio vocatus Maarranomano excessit. Is enim anno CCCCLIX expeditionem suscepit, ad eamque rem conficiendam Haruni Turcomanorumque auxilia sibi adiunxit; item Aufidas e Celabitis ad suam perduxit voluntatem. Cum his copiis ab urbe profectus Hemathum pervenit, omnes eius regionis Arabes subegit ac subiugavit. Studebant autem Arabes resuscitare discordias Mahmudum inter et Athiam, qui tum Emessae erat, putabantque Celabitae, hunc bellum adversus Mahmudum paraturum. At Asadeddaula, qui semel atque iterum perfidia Ara-

457

bum se circumventum graviter ferebat, ne Mer-  
dasidarum gloria subverteretur, id noluit. Eodem  
anno Hoseinus Camili filius Duchida castellum  
Asfunum satrapibus Aegyptiis dedit, postquam  
arx atque omnia praedia quae in Syria possi-  
debat ab ingruentibus Turcis erant direpta.  
Iisdem temporibus tanta Halebum pestis cor-  
ripuit, ut uno mense quatuor hominum millia  
morerentur; tertius is erat huius anni mensis.  
Sequentibus autem mensibus haud minus pesti-  
lencia saeviit. Ea calamitate dum affliguntur  
Halebenses, magna Turcarum copia Syriam in-  
vasit, quorum pars Dalucum oppugnatum con-  
cessit, pars ad numerum hominum mille pro-  
gressi longius Antiochiae fines diripiunt atque  
immensam bubalorum vim absducunt; eorum  
numerum alii quadraginta fuisse millium, alii  
maiolem ferunt. Quo factum est, ut unus bu-  
balus denario venderetur, pauloque statura pro-  
cerior duobus denariis aut tribus. Boum vero  
et ovium et caprarum et asinorum et puellarum  
tantam copiam abstulerunt, ut numerari nequi-  
rent: unde evenit, ut puella duobus denariis  
veniret, puer autem quatuor equi calceamentorum  
aestimaretur. Omnem vero illam Graecorum  
regionem ita penitus devastarunt, ut nunquam  
illis locis maiorem vastationem factam constaret.  
Fruges in arcis relictas Arabes agricolae aliique  
rustici auferebant nullo prohibente, quod omnes

Graeci in castella, occulta montium et cavernas sese abdiderant, aedificiis suis integris relictis, nulla re secum asportata; adeo enim subita et inopinata visa est Turcarum invasio. Accidit hoc decimo mense huius anni. Horum erat dux Afschinus. Is sibi iram atque malevolentiam Adili Alabi Arselani contraxerat eo quod Chadimum, aliquot eius legionibus praepositum, interemerat. Quare, traiecto Afschinus Euphrate atque expeditione in Graecos facta, indeque in Halebensium fines reversus postquam eam quam egerat praedam sub hasta vendidit, anno CCCCLX iterum Antiochiam profectus cum eam urbem circum sederet vehementerque premeret, iamque penuria Graecorum eo esset perducta, ut duos casisos tritici denario emerent, neque iam multo abessent, ut in deditionem venirent, literis Arselani ex Iraca missis avocatus est. Itaque acceptis ab Antiochenis centies mille denariis, totidemque pannis sericis ac vasis, septimo mense huius anni in Iracam revertitur.

Eodem anno Ichnalmaras praefectus Aegyptius castellum Asfunum Mahmudo Merdasidae transdidit. Ibi praefectus est Sadidelmolcus Abulhasanus. Die Martis decimo septimo mensis insequentis a Turcis Artahum vi expugnatur, oppidum diripitur, pari modo eius castellum. Erat autem in eo oppido magna multitudo Christianorum; namque omnes earum re-



469

gionum Christiani ibi summum habebant magistratum. Horum reliquorumque oppidanorum interficiuntur tria circiter millia. Quinque mensibus id oppidum obsederat Harunus rex Turcarum, cum magnus exercitus Graecorum advenit et ad portam Antiochenam consedit, eius pacandi causa tentandique, si permovere eum possent, ut ab oppugnatione Artahi aliorumque Graecae ditionis locorum desisteret. Non convenerunt condiciones; namque Graeci id agebant, ut frumenta ea, quae Sovaidum usque portaverant, clam Antiochiam inveherent, eius oppidi firmandi causa. Ita bellum redintegratum atque Artahum summa vi ab Haruno expugnatum: erat enim illa regio opportunissime ipsi sita non procul a Syriae finibus et Euphrate, vicinaque Azi, Apameae, portae Antiochenae atque Atsarebo. Traditur usque ad mensem octavum numerando tempus esse extractum, atque e Graecis Apameam iter facientibus occisorum captivorumque numerum desideratum esse trecentorum millium. Anno autem CCCCLXI ipse Imperator Graecorum Syriam invasit Manbeganque pervenit, unde magnam oppidanorum partem in servitatem abstraxit; et cum e castello eius oppidi profugerent, id viris, armamentis ceterisque necessariis rebus implevit. Inde Asasum profectus, atque ad id oppidum aliquamdiu commoratus cum reditum pararet ac securo

agmine iter faceret, Deus iratus in exercitum eius inopiam ciborum, aquae penuriam atque pestilentiam immisit, quibus adeo est afflictus, ut soli Imperatori ex equis suis uno die tria millia morerentur praeter eam quam exercitus fecit iacturam. Idque ipse iudici Codhaio, legato Aegyptiorum, narravit. Atque hic Imperator erat (Romanus) Diogenes, neque multum abest, ut credam, huncce significatum esse ab Heraclio, cum diceret: Non ad te (Syria) Graecus nisi pavens redibit, donec infaustus ille natus erit, sed utinam non nasceretur. Manbega vero ex eo tempore in ditione Graecorum fertur permansisse septuaginta annos. Die Saturni initio mensis octavi huius anni praefectus Antiochiae eiusque Ducas magnas cogit manus et adversus castellum Asfunum expeditionem facit, ob iniuriam sibi illatam ab Rabiitis e gente Djausanorum; idque expugnant, magnum virorum numerum occidunt, erant autem octoginta, reliquos capiunt. Eius castelli praefectus erat Turca quidam nomine Nadirus. Quod ubi Isseddaulae Mahmudo, Merdasidae, qui eo ipso tempore in ea quae est extra urbem Halebum planitie erat, nunciatur, e vestigio die Lunae cum Turcis et Arabibus eo iter direxit, neque prius urbem est ingressus, sed congregata ad eum magna hominum multitudine, ut tradunt, quinquaginta millium ad castellum pervenit,

idque septem diebus circumsedit, atque die Saturni expugnavit, interfectis omnibus qui ibi erant viris ad numerum duobus millibus et septingentis. Post haec Mahmudus eodem anno cum Graecis paciscitur, ut ei quatuordecim denariorum millia persolvant, ut ipse Nazrum filium pro obside det, castellumque Asfunum evertat. Itaque Tsabitus Muisseddaulae filius et Schablus Djamii filius collecta manu e Maarranomano et Cafartabo eorumque finibus Asfunum pergunt, castellum destruunt. Eodem fere tempore inter Halebenses atque Turcas exorta contentio est, atque ea occasione e Turcis circiter quadraginta, ex Halebensibus vero decem homines interficiuntur. Anno insequenti (CCCCXLII) Zendidus Turca e finibus Graecorum magno cum exercitu in civitatem Halebensem invasit, inde ab Artico in Mesopotamiam, Maarranomanum, Cafartabum, Hemathum, Emessam ac Raphaneas usque progrediens, dispersique eo anno Turcae omnia circum praedia diripiebant, quoscunque inveniebant spoliabant aut capiebant. Aperuerunt autem abditas frumenti foveas ac receptacula, et si qua resisteret provincia gravia ei imposuerunt tributa: itaque magnam Syrii calamitatem eo exercitu acceperunt. Atque haec prima fuit a Turcis facta Syriae direptio ac vastatio. Cum autem hiems declinaret, iamque ver instaret, a Mahmudo Merdasida muneribus



donisque honoratus Zendicus in Graecos versus reditum cepit. Quo facto Mahmudus eodem anno ad Sultanum Adilum Alabum Arselanum legatum misit, convenitque inter eos, Mahmudus ut Halebi primo Chalifae Bagdadi, deinde Sultano Adilo Alabo Arselano, sibique extremo publicas fieri preces iuberet. Itaque cum Abulfavares Thoradus, summus praefectus, cum vestibus honorificis Chalifae Biamrillae et Sultani ad instituendas Abbasidae preces Halebum venisset, Mahmudus convocatis Halebensibus in hunc modum verba fecit: Cedat iam necesse est Aegyptiorum dominatio huic novo Abbasidarum imperio ac potentatui convenienti, nosque eorum principatum agnoscamus atque iis vitae necisque in nos permittamus potestatem: consultius enim est, ut in praesentia nos eorum imperio subiiciamus, praemetuentes ne tempus incidat, quo iam neque nostri iudicii neque nostrarum erit virium decernere, utrum utri praeferamus. Comprobantibus ea senioribus civitatis ea res promulgata, ac preces publicae primo Chalifae Bagdadi, secundo Sultano Alabo Arselano, extremo Mahmudo solenni more factae, atque huic honorifica cognomina indita sunt. Haec dum in oratorio geruntur, Harunus Chacani filius Turcas ad portam oratorii subsistere, et quicumque preces facere concionique interesse nollent, atque egrederentur, interficere iussit:



ita ut seniores eum rogarent, ne seditionis terrorem civibus iniiceret. Vulgus enim hominum in oratorio inclusus pulvinaribus potitus, quae erant in templo, dicebat, Alii Abuthalebi filii ea esse pulvinaria, afferendaque ab Abubecro alia, in quibus ab hominibus preces fierent. Id accidit die Veneris decimo nono mensis decimi anni CCCCLXII.

Interim Nazireddaula Hamdanida Aegypto potitus et cum aliquot huius regni principibus in discordias implicatus presbyterum Abudjafarem Mohammedum, iudicem, ut notum est, Halebensem (credo a Nazireddaula eo esse magistratu ornatum, cum is Halebum tenderet, atque illam ad Fasdicum cladem acciperet; aut a Sultano Alabo Arselano, cum Halebum obsideret, illeque cum eo una esset: atque inde innotuit) hunc igitur legatum ad Alabum Arselanum misit, qui eius copias auxilio advocaret, ea pollicitatione ut ei Mizram transdat ac preces publicas immutet; hoc factum est anno LXII. Is ubi in Chorasanam ad Sultanum pervenit, hic adhibita celeritate magnis coactis copiis, atque iis planitie consita Diarbecram iter ingressus initio anni insequentis Edessae castra ponit, ibique dies amplius triginta commoratus presbyterum Abudjafarem, quem supra commemoravimus, legatum ad Mahmudum Nazri filium misit, qui ei persuaderet, uti in suam fidem

veniret atque apud se stipendia mereret, quemadmodum alii fecissent principes, ut Scharfedaula Coraischida, ut Mervanida, ut Vatsabi, ut Masidi filius, ut princeps Turcarum ac Dailamorum. Id cum Mahmudus respueret atque ab illo timeret, Sultanus Edessa castra movet, atque in Syriam versus iter facit Merdasidam bello petiturus. Itaque transiecto Euphrate medio mense quinto anni CCCCLXIII cum in quaedam prata descendisset, eorumque amoenitatem admiraretur, Abudjafar iudex Halebensis, Recte, inquit, lactaris, Sultane, et in ea re maximas Deo gratias debes, quod, cum antehac nemo Turca unquam nisi servus hunc fluvium transierit, tu eundem iam rex idemque summus principum ac Turcarum transiecisti. Neque vero hoc Arselanum fugiebat; nam quantum summo numini deberet, sentiebat. Inde in campos Asaditarum pervenit, et in regionem Cinnesrinensem ac Fasdicum. Constitutis pro Abbasida publicis precibus, ita uti supra demonstravimus, Abulfavares summus praefectus ad hoc tempus usque Halebi permansit. Hunc Mahmudus rogat, uti ad Sultanum proficiscatur et cum eo de controversiarum compositione agat. Is sibi intercessionem apud Sultanum suscipit, eumque placare ac rem componere studens ostendit, Foederatum iam esse Mahmudum Chalifae publicis precibus, ab eoque decreto perscripto confirmatum. At

Sultanus, Quid, inquit, hoc ad eius pertinaciam, qua adhuc adversatur, atque imperata facere recusat? Itaque intercessionem sese accepturum negat, nisi Mahmudus se ipsum coram sisteret. Quo audito Mahmudus metu perterritus, illique parere nolens eam rem duos paene menses extraxit, Halebumque munire atque e ceteris Syriae provinciis copias eo contrahere instituit. Tum magna omnium animos trepidatio incessit eo quod tam immensa hostium multitudine peteretur Mahmudus, resque contra hominum existimationem accedit. Cum igitur Mahmudum ad suam perducere posse voluntatem desperaret, Sultanus a Fasdico, quo in colle tabernaculum suum habuerat, quique inde ex eo tempore Collis Sultani appellatus est, castra movet, atque extremo mense septimo huius anni urbem accedit. Erant autem tantae magnitudinis eius castra, ut usque ab Halebo ad Asaditarum agros, Asasum et Atsarebum continua serie pertingerent. Nec quisquam erat militum, quin maleficio abstineret; nulla femina tacta, nullum violatum castellum est: atque adeo pabulo plurimos nisi a rusticis empto non usos comperi. Ita unum mensem ac biduum Halebum obsessum tenebat, oppugnationibus vero ad ultimum usque diem abstinebat propterea quod diuturnitate conclusionis oppidum in deditionem accipere studebat, Nolle sese, dictitans, hunc locum munitissimum

armis expugnare, ne forte in Graecorum deveniat potestatem. Ad extremum vero tentata oppidi expugnatione conquassata turre ovium pars col-labefactaque corruit, sed intrare per eam partem conantes adversarios Halebenses reiecerunt: eorum pars capta, pars muri ruina concussa interiit. Quo facto oppidani eam turrim panno nigro cinxerunt. Quod cum Sultanus ex agro ad portam Cinnestrinensem sito, ubi tum forte versabatur, conspiceret, Quid hoc sibi vellet, quaerenti ei responsum est, Halebenses istos per ludibrium dicere, illam turrim e coniectu ba-listarum cephalalgia laborare, atque ideo vitta esse revinciendam. Id ut audivit, ira incensus ea nocte sagittas duntaxat calangicas ad octo-ginta millia distribuere iussit, praeter ea pila quae reliquus exercitus misit. Mane autem facto copias suas propius muros accedere iussit, acerrimeque omnibus in urbis oppugnatione occupatis ipse Sultanus eo die tanto erat studio, ut, cum circumequantis eius equus uno pede in rima terrae haereret, atque eo ipso puncto temporis tormento misso eius caput percuteretur, in alium illatus equum statim ad suos rever-teretur. Quum iam paene in eo esset, ut op-pido potiretur, milites ab opere reduxit, pro sua clementia ac mansuetudine parcens civitatis propugnaculo. Sed tamen ab exercitu urbs undique ex omnibus partibus circumsedebatur,



ita ut omni com meatu privaretur. Cum ea ita essent, Sultanus ad principes Celabitarum legatum misit, eosque ex agris suis finibusque concivit. Horum aliquem summo rei administrandae imperio praeficit, quem ad obsidendum Mahmudum relinquere constituit. Allatus enim nuncius est, Imperatorem Graecorum in Armeniae provincias ingressum esse, in Chorasanam versus facturum expeditionem. At Mahmudus cum civitatem diutius obsidionem sustentare non posse videret, et de adventu principum Celabitarum audisset, seseque, si Halebum captum fuerit, amissurum Syriam iudicans, ad Solaimanium literas dat, quibus literis ei denunciat, paratum se esse, Sultani voluntati obtemperare, seque sub eius imperio futurum. Deinde initio mensis octavi ipse cum matre sua Saiida urbem egressus ad Sultanum se contulit, eique portas aperuit. Is una cum Mahmudo comitante praesidiana cohorte oppidum ingreditur, inque deditionem accipit. Ac Mahmudum et Saiidam in eius servitium intentos liberaliter honorificeque tractavit, illique decreto interposito Halebum in potestatem restituit imperiique maiestatem reddidit. Quibus rebus confectis Sultanus denuo cum Mahmudo agit, uti in officio atque imperio eius esse velit, convenitque inter eos, ut Mahmudus cum exercitu suo, Solaimanio in societatem assumpto, Damascenorum Aegyptiorumque

provincias invaderet, atque eas subigeret. Mah-  
mudus id quod iussus est facit. His constitutis  
rebus Sultanus, filio suo cum parte exercitus ut  
traditur ad Halebum relicto, in provincias suas  
reversus magnis itineribus ad Imperatorem Grae-  
corum contendit; is enim innumeris copiis iter  
ingressus iam in Ciliciam, quae est Orsene Grae-  
corum, pervenisse nunciabatur; cumque Sultanus  
in Adiabenen adveniret, illum iam ad Chilathum  
viam occupasse audiebat. Quo nuncio adductus,  
quod cum proceribus ac legionibus nimium ab  
eo aberat, neque in provincias suas redeundi  
copia dabatur, Nethsamelmolçum Vesirum et  
uxorem suam una cum impedimentis suis Ta-  
brisum misit, ipse vero cum robore exercitus,  
delectis equitibus quinque millibus, quorum  
quisque binos equos habebat, ibi remansit. At  
Graeci ad numerum trecentis vel amplius etiam  
equitum peditumque millibus obsistebant: in  
his erant Russi, Chosari, Alani, Ghossi, Caspii,  
Caragii, Ungari, Franci, Armenii; in eoque  
exercitu chirurgorum erant quinque millia, praefectorum autem, ut Ducarum, Patriciorum cen-  
turionumque, numerus triginta millium. Sed  
robore legionum suarum fretus Sultanus Deique  
ope confisus, omnem vero cunctationem nocitu-  
ram existimans, instructa acie universum Grae-  
corum exercitum petere non dubitat. Iam vero  
ab Imperatore praefectus militum cum viginti

loricatorum millibus, de exercitu suo fortissimis quibusque delectis, una cum maximo crucis signo Chilathum usque praemissus rapinis ac praedae intentus erat. Adversus hunc Zenticus Turca, quem anno LXII Halebum venisse supra demonstravimus, cum exercitu Chilathensi proficiscitur; ac fuis eius copiis ipsum capit. Eodem temporis puncto Sultanus eo veniens ducem captum naso mutilari iubet, signumque hostibus ereptum Nethsamelmo mittere properat, qui id pro laeto victoriae nuncio quam celerrime domum mittat. Coniuncta dein Graecorum castra ad Chilathum posita, oppidumque ab iis inclusum. Interim Imperator Manzicertam ab oppidanis in deditionem accepit; ii enim militum iniurias ac licentiam timentes, si superati essent, die Martis quarto mensis undecimi anni CCCCLXIII fidem eius imploraverant. Hos quoque in pugnam eduxit, et ad incitandos omnium animos ipse in eorum agmine apparebat. Simul exercitus Sultani adventans extemplo velut uno impetu Graecos adoritur, adeo ut paene terga convertant. Manzicertates clam pugna excedere tentantes Graeci initio parumper retardarunt, eorumque aliquot interfecerunt, reliqui diffugerunt. Hos igitur frustra a discessu prohibere conati Graeci ea quam ingressi erant via necessario dimiserunt, noctemque inter Chilathum ac Manzicertam sub tentoriis transigebant, quo etiam

illorum dux reversus est. Inquies ea nox Graecis fuit, variisque curis sollicita. Postero die ubi illuxit, qui fuit dies Iovis, Sultanus Alabus Arselanus cum reliquis suis copiis, millibus equitum quindecim, insecutus ad flumen Euphratem pervenit, atque ibi castra metatur. Imperator vero Graecorum cum ducentis equitum millibus Sorvae consedit. Hic cum Sultanus bono magis animo atque clementia ductus quam necessitate coactus misso ad Imperatorem inter-nuncio ad componendum bellum aequas ferret condiciones, ille Sultatum nisi necessario ad pacem non descendisse arbitratus, id noluit ac magnos sibi spiritus magnamque arrogantiam sumens respondit, Sese nunquam isto pernicioso sibi consilio usurum. Quo responso iratus Sultanus eam legationem diremit. Ita eam diem utrique e regione sibi oppositis castris se continebant atque in parandis ad pugnam copiis insumebant. Tum Abunazrus Bocharius, Sultani presbyter et Imamus, ipsum monuit, uti die Veneris post diluculum confligeret, posteaquam ei in suggestu homines acclamassent victoriamque essent deprecati; idque eo quod Deus O. M. pro vera fide pugnantibus adversus infideles non deesse promiserit. Hoc probato consilio Sultanus postridie eius diei, qui fuit dies Veneris, equitatum omnem educit; idemque Graeci faciunt, atque exadversus Muslemos consistunt.



Sed ubi tempus diluculi effluxit, Sultanus ex equo descendit, quid sui consilii sit pro suggestu ostendit, omnibus precibus Dei O. M. auxilium quam demississime ac subiectissime implorat. Quo facto iterum equo insedit, insidiisque collocatis Graecos a fronte adortus simulata fuga usque eo illexit, dum positae insidiae infesto agmine eorum terga invaderent. Simul Moslemi a fronte insistebant atque universi imminebant. Acriter tum pugnatum, ac non sine ope divina Moslemi Graecas copias prostraverunt et superarunt. Immensam fecerunt praedam innumerosque ceperunt; in his Imperatorem, quem compedibus vinctum una cum falcone et cane venatorio, quos secum habere solebat, ad Sultanum deducunt. Reperta sunt autem apud Graecos plaustra impedimentis tormentisque onerata ad numerum tria millia; inerat quoque balista una, qua octo simul tormenta conici possent, quaeque centum plaustris devecta a viris mille ducentis ageretur. Tanta vero utensilium armamentorumque copia potiti sunt Moslemi, ut earum rerum pretium tum temporis usque eo deminueretur, ut casses duodecim sexta denarii parte emeretur. Neque ulla Graeci exercitus pars salva evasit, praeterquam qui oppidum Chilathum obsessum tenebant. Ii enim audita suorum clade sublata oppidi obsidione praecipites sese fugae mandabant. Insecuti

Moslemi eorum fines diripiunt atque depopulantur; at hostem assecuti non sunt. His rebus feliciter gestis Sultanus in Adiabenen est reversus. Ibi vinctum ad se Imperatorem Graecorum adduci iubet, ex eoque illati sibi belli causas quaerit. Ille respondet, Sese nihil expetisse praeter Halebum, omniumque quae sibi acciderint, Mahmudum et causam et auctorem esse. Tum Sultanus, Dic mihi, inquit, aperte ac vere, quid de me facturus fuisses, si superasses? Cum canibus, inquit ille, te in vincula coniecissem. Tum ille, Tibi igitur quid fieri debeat, delibera. Tu vero, inquit, extremam considera calamitatem, quam tibi illaturus fuisses, atque ipse iustam poenam diiudica. Hac oratione ad misericordiam inclinatus Sultanus atque clementia usus, posteaquam Imperator captos Moslemos ad unum omnes dimittere, nec quidquam in posterum Mohammedanorum fines lacessere pollicitus est, ipsum incolumem honorificeque ad suos remittit; atque etiam praesidiariam ei cohortem adiungit. At (Romanus) Diogenes, Imperator Graecorum, Constantinopolim reversus imperio est exutus, neque earum rerum quidquam, quas erat pollicitus, praestitit; sed non ita multo post in summis rerum angustiis mortuus esse dicitur. Imperatorem vero Graecorum unquam alias ante a Mohammedanis esse captum memoriae proditum non est. Interea dum haec

apud Sultanum geruntur, Mahmudus ac Solaimanius cum exercitu suo et Celabitis mense octavo huius anni Halebo profecti prope Baalabeccam castra metantur, adversus Damascum atque eius provincias facturi expeditionem. Ibi id temporis erat Mensui filius Catamita imperio atque iussu Sultani. Is quid factururus esset, exploraturus Mahmudus exspectavit. Haec dum Mahmudus apud Baalabeccam parat atque administrat, Athia eius patruus apud Graecos tum versatus suppetiis adversus patruem ab iis est adiutus. Itaque una cum praefecto Antiochiae et Graeco exercitu profectus Maarramezrinum infestis copiis invadit, eiusque suburbium incendit; hominum quantum potest numerum occidit. Quod ubi ad Baalabeccam auditum est, Mahmudus Halebum est reversus, Solaimanius vero ad Sultanum Alabum Arselanum contendit. Iam vero Graecorum copiae appropinquabant Syriae, iamque aderant. Qua re permotus Mahmudus Bacarluum Turcam, quique cum eo una erant in Palaestina principes auxilio vocat. Hi enim primi e Turcis Palaestinam sunt ingressi, atque ea expugnata ibi sedes ceperunt. Acciti a Mahmudo ei subvenerunt, et apud eum permanserunt usque ad discessum Graecorum. Quo facto Athia Constantinopolim reversus de tecto domus, in quo dormivit, ebrius cum esset decedit, et anno CCCCLXIV diem obiit supremum.

Translatum eius corpus Halebum in occidente portae hortulorum, loco sacrato matris eius Tharudae sepultum est, preces faciente Mahmudo patrueli. Hic vero Rahabam quoque eo tempore cepit. Post id factum Turcae equis opibusque a Mahmudo donati domum redierunt. Eodem anno post discessum Sultani res Mahmudi turbari atque inclinari coeperunt; ipseque a suis voluntatem suam alienavit. In his fuit Abubaschar Christianus, summus magistratus, qui Mahmudum suis opibus adiuvit, donec Halebo potitus esset, eique Arabes conciliavit. Eius enim laudes apud Mahmudum obtrectaverat, atque magnam sibi debitam pecuniam ab eo petebat Abulhosainus praefectus Abutorsiae filius, qui Athiae fuerat Vesirus; idque eo consilio, ut ipse summo imperio ab eo praeficeretur. Mahmudus enim coacervandis opibus intentus avaritiae se dederat. Quare excusantis se atque declarantis Abubascharis, iniustam eam esse petitionem, quod neque summam eius pecuniae, neque partem accepisset, filium ac fratrem interfici, abscissaque eorum capita ipsius cervici patris imponi iussit. Sed crudelis huius facti mox Mahmudum poenituit, frustra que illius animum reconciliare studuit. Post tamen instigante atque agente Abulhosaino eum trucidari iussit. Eo mortuo Abulhosainus Abutorsiae filius summum in civitate Mahmudi imperium obtinuit.



Anno CCCCLXIV in regionem Asasi incursionem facientes Graecos Mahmudus parva manu circa mille equitibus repulit atque Antiochiam fugere coegit, qua in urbe eo anno sese defenderunt. At expugnata Mahmudus arce Senni nono die mensis quinti anni CCCCLXVI, renovatis intestinorum vulneribus mense sexto anni insequentis Halebi in morbum est implicitus, qui eius mortis causa fuit. Ac Mahmudus initio quidem imperii sui res bene gessit, et morum mansuetudine ac liberalitate usus et iniustitia et colligendis opibus abstinebat; postea vero ita commutata eius vita est, ut nimio rerum humanarum amore cumulare opes coepisset, seque incredibili dederet avaritiae. Regni haeredem testamento quidem suo constituit Schabibum filium natu minimum: sed eo neglecto familiares eius regno praefecerunt principem Nazrum Mahmudi filium, cui maternus erat avus Malicalasisus Djelaleddaulae filius, unde Djelalii nomen duxit. Habito autem censu earum rerum, quae in thesauris Mahmudi repertae sunt, nummorum ac vasorum aureorum, supellectilium, pannorum, et curruum pretium aestimatum est millies mille et quingentorum millium denariorum. Sub Nazri imperio civitas Halebensis securitate atque otio fruebatur, isque aequiorem quam eius pater regnandi rationem ingressus civibus multum indulisit. Urbani

praesidii milites, quos in vincula coniecerat Mahmudus, e custodia dimisit; populum omnem muneribus prosecutus est.

Anno CCCCLXVIII Atsisus Avaci filius Turca in australes Halebensium fines invasit, Aziqne adversus Djelalium castra collocavit. Quocunque se vertebat, omnes circum Syrii diffugiebant; iamque magnum Regem se ipse appellaverat. Omnia quaecunque poterat diripiebat. Captis Raphaneis eam urbem fratri suo Djalvalio transdidit. Hostilibus cohortibus in omnem Syriam iterum iterumque circummissis vastatio aliquamdiu continuata. Ea de causa inter Atsimum ac Nazrum Mahmudi filium, imperatorem Halebi, legatis ultro citroque missis res tamen ad compositionem perducta non est. Quare Damascus reversus id oppidum in deditionem accepit. Interim Raphaneis eius vices gerens Djavalius frater omnes circum agros infestos reddidit, quoquo versus in australes Halebensium provincias incursionibus administratis terroribusque undique iniectis. Hac re permotus Nazrus Mahmudi filius coacto celeriter exercitu Halebensi eum ductu Ahmedi Schahi Turcae contra Djalvalium misit. In finibus Hemathi praelium committunt. Djavalium adversarium profligat, exercitum despoliat. Quo facto Ahmedus Madscinum se recepit, ibique consedit. Hic cum reliquias exercitus sui collegisset, omnesque

468

Halebum reverti vellent, id facere dissuasit, iterumque cum Djalio decertandi animum iis iniecit. Itaque de nocte profectus ad Djalium contendit, eiusque exercitum prostravit, priorem cladem acceptam ultus est. Exspoliato exercitu, ad numerum trecentis captis, hos victos Halebum misit pedestri agmine. Hac pugna pugnata Djalio Raphaneas refugit; postea vero ex ea urbe excessit, atque ad fratrem suum Damascum se contulit.

Constitutus in regno Halebensi Nazrus Mahmudi filius atque confirmatus Abulhasanum Abustorajjae filium, summum apud eius patrem praefectum, interfici iussit. Hunc enim suspicabatur patri persuasisse, ut Schabibum fratrem suum, minimo natu filium, Halebo praeficeret. Itemque Nazrus Nadjiam Alii filium, unum e praefectis patris sui, interemit. Summo autem imperio praefecit Abunazrum Mohammedum Abulhasani filium Tamimitam, cognomine Nahasidae Halebensis; quem etiam post Nazri mortem apud Sabecum eius fratrem obtinuit locum; priusquam ab eo est in vincula coniectus, ex quibus tamen post ab eodem liberatus est. Eodem Mahmudus viro pro consiliario usus erat, antequam Vesirus esset factus. Ahmedum quoque Schahum Turcam comprehendi iussit Nazrus atque in custodiam dari. Quo facto quum instituto forte convivio ad vesperam per-

potasset, incaluissetque vino, in Turcas, qui extra muros urbis sub tentoriis degebant, subito irruendi consilium cepit, eorum diripiendorum cupidine flagrans. Id cum facere vellet, a Turca quodam telo misso per fauces transfossus atque exanimatus est. Accurrentes confestim eius socii mortuum reperiunt. Id accidit die Lunae ineuntis mensis decimi anni CCCCLXVIII. Hac levitate Nazri invitati Turcae evagari longius coeperunt urbemque accedere, cuius eo tempore praefectus erat vir quidam nomine Vardus, apud quem tum versabatur princeps Sadidelmolcus Abulhasanus compluresque proceres. Hi cognita Nazri caede fratrem eius Sabecum Mahmudi filium acciverunt, cumque in domo Asiseddaulae Fateci habitantem adhibito fune ebrius cum esset ad se in arcem sustulerunt, ac regio ornatum imperio pronunciarunt. Quo facto ei suaserunt, uti Ahmedum Schahum custodia liberaret. Is statim a vinclis ab eo liberatus honoribusque affectus ad exercitum in agris suburbanis degentem pergit, ignes tumultus componit, militum animos sedat. Itaque regnum Sabeci stabilitum, ipseque Isselmolcus Abulfadhailus cognominatus est. Erat autem unus e superstitibus Merdasidarum.

Postquam regno ita poitus est Sabecus, Celabitae sese aggregaverunt amicitiae Vatsabi, eius fratris, eique adversus Sabecum opitulantes



468

Halebum in eius potestatem redacturos se confidunt. Simul cum Vatsabo se coniungunt Schabibus Mahmudi filius, eius frater, et Moharecus Schebli filius, amborum consobrinus, et vulgus Celabitarum. Quod ubi Sabecus rescit, Ahmedum Schahum, principem Turcarum, cum mille equitibus ad se vocat, eumque consultit, quid faciat de rebus suis. Is ad Mohammedum Dimlagi filium Turcam misit, qui cum quingentis equitibus viam Graecorum occupaverat. Huic magnis praemiis pollicitationibusque persuasit, ut ad se veniret die Mercurii incuntis mensis undecimi anni CCCCLXVIII, foedusque secum iniret. Itaque die Iovis incuntis mensis duodecimi anni eiusdem contra Vatsabum Celabitasque proficiscuntur. Ii tanta multitudine convenerant, quanta nunquam alias ante, adeo ut paene septuaginta millium equitatus peditatusque numerum conficerent. Hostiles fines transgressi vastare agros coeperunt collocatis Cinnesrini castris. Sed conspectis Turcis confligere non ausi Celabitae e vestigio sese fugae mandabant, tentoriis post se relictis cum praeda sua omni qua erant potiti, cumque omnibus familiis et liberis suis. Ingentem inde praedam tulerunt Turcae; camelorum centum millia et quadringenta millia ovium dicuntur abstulisse, ac nobilium feminarum magnum cepisse numerum, servarum vero multo etiam maiorem,

cunctaque quae in eorum tentoriis reperta sunt. Servilium autem militum, qui amplius decem millium numerum conficiebant, supplicio abstinuerunt, neque eorum ullum occiderunt. Ita innumeras ea die praedas ab Arabibus fecerunt Turcae, multosque ex iis ceperunt. Cum his postquam Ahmedus Schahus Halebum pervenit, Sabecus Mahmudi filius eos incolumes dimittere iussit; sororem vero suam, Mobareci uxorem, domum deductam magno habuit honore: namque et ipsa inter captivos eius diei erat. Tredécim post eam fugam diebus invitatus a Mohammedo Dimlagi filio, qui in septentrionali Halebi latere tabernaculum suum habebat, Ahmedus Schahus, quum paucis comitantibus eo venisset, omnesque in edendo ac potando essent occupati, ab eo comprehenditur, comprehensus in vincula coniicitur: ex quibus novem diebus post, vigesimo quarto mensis duodecimi huius anni, a Sabeco pecunia est liberatus. Is enim decem denariorum millibus ac viginti equis a Mohammedo Dimlagi filio eum redemit.

Interim Vatsabus Mahmudi filius, Mobarecus Schiebli filius et Hamedus Rocaibi filius ad Sultanum Abulfatahum Malicschahum, Alabi Arselani filium, profecti apud eum de statu rerum suarum queruntur, eiusque auxilium adversus Sabecum implorant, atque uti se ab illius dominatione liberet, petunt. Id vero Sultanus

abnuit, caeterum pollicitationibus erectis eorum animis in sua quemque ipsorum possessione decreto confirmat; Syriam vero fratri suo assignat Tadjeddaulae Tutuscho. Hos in Syriam proficisci iubet initio anni quadringentesimi septuagesimi. Afschino autem et Zendico Turcae et Mohammedo Dimlagi filio aliisque e principibus Turcarum praescripsit Sultanus, ut sese Tadjeddaulae associarent atque eius dicto audientes essent. Itaque profectus Tadjeddaula una cum Vatsabo Mahmudi filio, Mobareco Schebli filio et Hamedo Rocaibi filio Diarbecram pervenit, in quo loco se cum eo coniunxerunt auxilia Turcarum eorum, quos modo nominavimus. Interea dum haec a Sultano parantur, Ahmedus Schahus cum exercitu Halebensi Antiochiam obsedit. Qua obsidione cum oppidani magna premerentur caritate annonae, quinque denariorum millia pro eius reditu persolvere sese paratos ostenderunt. Quibus acceptis ac sublata obsessione oppidi Ahmedus Halebum est reversus. Cum autem Tadjeddaula Syriae appropinquaret, pars Turcarum cum Ahmedo Schaho ex agris suburbanis Halebi profugerunt, et ad castellum Gephyram contenderunt. Id permissu Sabeci hoc ipso anno renovaverat Sadedelmolcus Abulhasanus, quo Sizaram opprimeret atque commeatu Graecorum intercluderet. Ibi impedimenta sua omnia et familias relique-

runt, atque ad officia sua Halebum reverterunt; neque enim Halebensibus mulieres suas committere voluerunt ob eam qua contra Harunum Chacani filium usi sunt perfidiam. Sed Gephyrae ita commutata aeris temperies est, ut maxima hominum pars in eo loco periret.

At Tadjeddaula in campestribus locis se continebat, donec Celabitae se ei aggregarent. Quo facto castra ad Halebum metatus est anno cccclxxi. Ibi se cum eo coniungit Scharfeddaula Abulmocaremus Coraischi filius, qui missu atque imperio Malicschahi ei auxilio venerat. Hi igitur urbem tribus mensibus et viginti diebus obsidebant. Coepta est Halebi obsessio extremo mense undecimo anni cccclxxi, oppidumque nullo intermisso tempore oppugnatum. In ea oppugnatione Ahmedus Schahus dux Turcarum intra Halebi muros telo ictus occiditur. Intercesserat autem inter Scharfeddaulam Abulmobarecum et Sabecum vinculum amicitiae; quare ille in urbem misit confirmandi eius animi causa; iamque Celabitis omni cum Turcarum exercitu commercio interdixerat. Tum Celabitae a Tadjeddaula petierunt, ut sibi cum iumentis suis discedere liceret; idque impetraverunt. Cum ea ita essent, Scharfeddaula Abulmobarecus animadverso alienato a se illius animo ac legatione ad Sabecum Halebensesque suspicionis a se iniectae timore, impetrata a Tadjeddaula



471

discedendi licentia, reditum paravit. Reliqua exercitus eius armenta ad portam Halebi deducta milites oppidanis vendebant, aliaque quae erant in exercitu, amore cognationis permoti adiuvandique studio. Ita confirmatis Sabeci omniumque Halebensium animis, posteaquam gravem famem erant perpessi, novis vitae subsidiis ab eo sunt sublevati. Quo facto Scharfeddaula in provincias suas reversus est: Mobaricum quoque et Vatsabum Schabibumque monuit, ut vitae suae consulere vel in oppidum Halebum fugerent; hi enim soli e Celabitis cum parva manu apud Tadjeddaulam remanserant. Quibus Sabecus literis ad eos missis persuadet, uti ad se transeant. Ii igitur quum et ante illam fugam, quam supra memoravimus, et post eam cum Halebensibus decertaverint, tamen invitati a Sabeco ad eos transfugerunt.

Tum nunciabatur Turcam quendam e principibus Chorasanae nomine Turcomannus cum exercitu ad Tadjeddaulam auxilio proficisci. Quo Sabecus nuncio accepto praeventendum existimavit, priusquam adventaret. Quare emissus de nocte ex oppido Halebo Menzurus Camili filius, unus e principibus Celabitarum, cum quibusdam comitibus Sabeci, in societatem assumpto principe Abusaiida, amplius mille equites et quingentos pedites e Nomairitis, Cosairitis, Celabitis Ocailitisque coegit. Totaque ea res con-

silio principis Scharfeddaulae Abulmocaremi est administrata, atque eo facto nobilitatus est. Cum his copiis profectus princeps Abusaiida in vallem Bathnae pervenit. Eodem tempore Turcomannus Turca cum mille equitibus e Ghossis et magno ad oppugnandum Halebum apparatu in regionem Faiae iter direxit. Quo postquam pervenit, Abusaiida cum copiis suis eum adortus, multis interfectis exercitum fugat atque diripit. Eandem fortunam tulerunt mercatores ii, qui se eius agmini aggregaverant, bona sua omnia amiserunt. Talis nuncius cum Halebum perferretur ad Tadjeddaulam, ab oppido profugit versus Euphratem. Deinde Diarbecram contendit, ibique hiemavit. Postea transgressus Euphratem Manbegam, castellum Iafam et Dirum in deditionem accepit, atque militibus complevit. Quibus rebus confectis ad castellum Bosaam cum exercitu tendit, quod erat sub imperio Schebli Djamii filii. In eo castello inerant quidam milites, qui in exercitu Turcomanni gravius erant afflicti. Id Tadjeddaula vi atque armis expugnat; viros omnes, quos ibi invenit, trucidat; castellum diripit ac praesidio occupat. Inde Asasum se convertit; eo magna multitudo hominum confugerat; hi arcem adscendere conati ab eius praefecto id facere prohibentur; itaque occupato arcis adscensu ibi cum impedimentis consistunt. In ea arce summo rei ad-

ministrandae imperio praerat vir quidam nomine Isa. Tum exercitus in arcem impetum fecit, atque iniecta igne impedimenta et frumenta hominum cum mulieribus liberisque eorum incendit. Neque multum aberat, ut Tadjeddaula castello potiretur, cum homines ex incendio se eriperent atque in eius fidem venirent. Hos iubet in possessiones suas redire. Quo facto magno studio Gabarinum contendit, oppidum capit, atque milite complet. Interea noctu egressus urbem princeps Abusaiida in agrum nomine Carminum pervenit, ibique quinquaginta equites e Ghossis reperit. Horum magno numero occiso omnibusque direptis incolumis Halebum se recepit. Quo audito Tadjeddaula noctu a Gabarino cum universo exercitu profectus mane Halebum pervenit, incursionibusque lacescere coepit. Egressus deinde exercitus Halebensis ad locum Chonnaciam prope portam cum hostibus concurrit. Hic Halebensis exercitus pars sine necessitate refugit; sed ope divina Tadjeddaula absque pugna profligatur: nam princeps Abusaiida eiusque consobrinus Scheblus Djamii filius cum parva manu quinquaginta equitum se ei opposuerunt, et dato impetu sublatoque clamore bellico eum fugarunt. Multos Ghossorum occiderunt, magnamque praedam fecerunt; neque eorum quisquam salvus evasisset, si exercitus Halebensis non redisset,

praeterquam quos equorum suorum velocitas praeripuerat. Ea die magnam Abusaiida adeptus est famam.

At Tadjeddaula Tutuschus Gabarino Damascum profectus ab Atsiso Avaci filio Turca oppidum in deditionem accepit. Tum Afschinus Turca cum magna parte eius exercitus discedens in septentrionem iter direxit, atque direptis Baalabeccae agris die decimo mensis sexti Raphaneas pervenit, qua in urbe magnum reperit numerum mercatorum aliorumque hominum, qui simul iter facerent Tripolimque peterent. Hanc de improvise urbem adortus, multis interfectis, fortunas eorum mulieresque abstulit. Commoratus ibi dies decem, inde profectus Gephyrae (id castelli nomen est) castra collocavit. Huc ubi venit, Abulhasanus Monkidsi filius honorifice exceptum et commissam sibi Syriae direptionem docentem rogat, uti provinciae Cafartabo parcat; idque impetravit. Deinde Fasthunum pervenit; id oppidum eandem quam Raphanae tulit fortunam. Hic amplius viginti diebus permansit; quod tempus postquam praeteriit, cum exercitu suo circumiens castella turresque Djebelsummaci aliaque loca impugnare coepit, ita ut nec locus ullus nec turris ulla relicta sit, quin caperetur atque diriperetur. Exhaustis Sarminensibus ac Maarratibus maximis imperatis pecuniis montem Olaimorum adscendit, atque



inde infecta re redire coactus in orientales Maaranomani agros ingressus, castellis turribusque vi captis, immensa praeda facta, populo exspoliato, multisque interfectis in collem Minizae contendit. Hanc cum expugnare non posset, quinque denariorum millia imperat. Inde in fines Maaranomani profectus pari modo fecit. Tum Maaratarihum aggressus, quod est oppidum in finibus Cafartabi, eius turres, in quibus se defendebant oppidani, una cum defensoribus incendio delevit.

Quibus rebus cognitis Tadjeddaula quam maximis potest itineribus Damasco in fines Cafartabi proficiscitur Arselanum Taschum petiturus; quo cum pervenit, hunc reperit iam in Graecos versus discessisse: quare Damascum sine maleficio reversus est. At Afschinus cum Syriam egrederetur, neque ullum usque a Maarra ad Halebum praedium intactum esset relictum, Antiochiam se convertit. In eo itinere postquam omnia longe lateque diripuit atque devastavit, ab Antiochenis pecunia placatus in Orientem versus discessit. Hac Afschini expeditione Syria tantam accepit calamitatem, quanta nunquam alias ante audita est. Multi fame perierunt; quae usque eo saeviit, uti homines se invicem caederent atque ipsorum carne vescerentur. Tritici sex librae denario vendebantur; ceteraeque res pari modo. Quo factum



est, ut qui salvi evaderent e Syria in Scharfeddaulae Abulmocæremi provinciam transmigrarent, quos ille benigne exceptos omnibus rebus adiuvit. Atque hæc maxima fuit causa, cur idem Halebum obtineret. Tanta enim calamitate permotus Sabecus ad Scharfeddaulam dat literas, quibus literis civitatem Halebensem ei in fidem permittit; universique Celabitæ pro legatis eum adierunt. Itaque Halebum iter ingressus Balesum venit die decimo mensis duodecimi anni CCCCLXXII; Halebum vero pervenit die decimo sexto eiusdem mensis; cuius adventu oppidum praecluditur, paulo tamen post apertis portis receptus est. Neque enim Sabecum a deditioe retinere poterant qui una erant in oppido Schabibus ac Vatsabus eius fratres; contra ea oppidani id vehementer cupiebant propter eam quam tolerabant famem omniumque rerum necessariarum inopiam. At Scharfeddaula in exercitu suo tantam attulit frumenti copiam, ut subito mira rerum facta sit commutatio. Is enim rerum potitus et die vigesimo sexto mensis duodecimi anni CCCCLXXII rex pronunciat, reclusis omnibus oppidi portis atque etiam aperta Quadragenaria, quæ porta erat obstructa, frumento ceterisque suis opibus universum populum abunde adiuvit, et urbani praesidii milites munifice honorificeque tractavit. Oppidi deditioe facta Sabecus in arcem se receperat;

473

Schabibus vero et Vatsabus eius fratres, qui in eo erant castello, quod coniunctum esse arci ante demonstratum est, illum impugnabant, atque in arcem irruptione facta Sabecum ceperunt. Post id factum cum Scharfeddaula de pacis condicionibus egerunt, principe Sadidelmolco usi internuncio; convenitque inter eos, uti Schabibo ac Vatsabo duo castella Asasum atque Atsarebum cum aliquot praediis assignarentur; Sabecus ut ceteras civitatis Rahabensis partes obtineret, isque suam sororem Mahmudi filiam Scharfeddaulae nuptum daret. Is finis fuit regni Merdasidarum.

Schubius vero et Vassubius fratres qui in  
 eo erant castello quod continetur esse archi  
 ante demonstrant et illam impugnant et  
 que in archi impugnatione facta Sabecum ceperunt  
 Post id factum cum Schartebanis de pacis  
 conditionibus egerunt principes Sabdelmaloe  
 ut interueniret; conuenitque inter eos ut Scha  
 bibe ac Vassubo duo castella Assam atque  
 Assabem cum aliquot turribus assignarentur;  
 Sabecus ut ceteros civitatis Hababensis partes  
 obtineret. Idem suam sortem Alshandi illam  
 Schartebanalae inquit daret. Is hinc hinc regni  
 mercedibus...





## ADNOTATIONES.

Pag. 1. *Una cum Saadeddaulae mulieribus.*  
Ita codex noster habet, pro quo legendum esse suspicatus est cl. Freytagius: Saadeddaulae.

Ib. *Alazgharus* significat natu minimum.

Pag. 2. Perperam *Caesarea* legitur pro *Sizara* (Schaizar), quod est oppidum cum castello. Cf. Vit. Salad. in Ind. Geogr. ed. Schultens.

Pag. 6. Praeter Zalehum inter captos *Celabitarum* principes ab historico nostro nominantur Abuhamedus et Djamius Saiidae filii.

Ib. *Djauschanus* mons est vicinus Halebo, cuius ad pedem sepulcra sunt et loca sacra.  
*Lex. Geogr.*

Ib. *In colle Hamedo.* In codice nostro interdum vitiose scribitur Hazed pro Hamed, qui est collis cum castello in planis Mazizae. *Lex. Geogr.*

Pag. 10. *Lilunum*; ita hic locus nominatur

in codice nostro p. 51. sed hic Schihlilunum ;  
ego tamen utroque loco simplex nomen posui.

Ib. *Tobbal* est vicus Halebi vel etiam re-  
gionis Asasensis. *Lex. Geogr.*

Pag. 12. *Qui est annus ccccvii.* In Se-  
lectis ex Hist. Halebi ed. a cl. Freytagio praef.  
p. xxxiii. nescio quo errore scriptus est an-  
nus 447.

Pag. 14. De Aldesberio cf. Abulfedae An-  
nales Muslemicos Tom. III. p. 10. et Reiskii  
notam 9. ad eum locum. Bendjutecinus (Al-  
desberii cognomen) et Anuschtecinus ab Ara-  
bicis scriptoribus promiscue usurpatur. cf. p. 23.

Pag. 15. De Manbega cf. Abulfedae Tab.  
Syr. ed. Koehler. p. 127. et Vit. Salad. in  
Ind. Geogr. sub ea voce. Alii scribunt Menbidjum  
secundum Arabum prononciationem.

Pag. 18. *Abasgi.* Immutatis punctis vo-  
calibus et diacriticis vocabulum Arabicum si-  
gnificare potest Ungaros, uti pag. 72. aliis ductus  
punctis eandem vocem reddendam esse existi-  
mavi. Abasgos tamen in exercitu Romani Im-  
peratoris Graecorum numero conducticiorum mi-  
litum fuisse reperi in Historia Cedreni.

Pag. 19. *Cyrrhesticā.* De hac regione vid.  
Abulfedae Tab. Syr. ed. Koehler p. 22. ibique  
Reiskii Animadv. 22. 1.

Pag. 21. *Djebelsumaco.* Rectius scribitur  
Djebelsummacus, quod est nomen montis.

Pag. 24. *Rustenus* fluvius est, de quo vid. Select. ex Hist. Halebi p. 20. et Rustenum oppidum, ut tradit Abulfeda in Tab. Syr. p. 22. fortasse Arethusa veterum.

Ib. *Vatsabus* rectius scribitur duabus literis, sed durius mihi videbatur in Latino sermone quatuor deinceps consonantes ponere.

Pag. 28. *Maarra* simpliciter ponitur pro Maarranomano; aliud oppidum est Maarramezrinum. cf. Vit. Salad. ed. Schultens. in Ind. Geogr. sub hac voce.

Pag. 44. *Fasdicum*; ita hoc loco in codice nostro ac saepius scriptum est; postea vero idem collis diversis punctis semper *Fonaidicum* sonat. Utrum rectius sit, non ausim decernere: quod unus idemque esset locus, non dubitavi semper uno modo scribere *Fasdicum*, Hic collis recentiori tempore dictus est Collis Sultani. Ea de causa suspicor, nominis antiquitate factum esse atque oblivione, ut scriptori nostro dubium esset. Scriptura enim ambigua est.

Pag. 47. *Via filiarum* Arabice Darb Albenat.

Pag. 55. *Ceterae in civitate Halebensi*. Additur in cod. nostro: min-alartic, quod cum dubium mihi esset, omisi. Suspisor tamen verendum esse: inde ab Artico (sumpto initio). De hoc loco cf. p. 65.

Pag. 56. *Harunus Chacani filius*. Ita aliquoties in Codice nostro, saepius praecise

Chani filius vocatur; nos semper uno eodemque modo.

Pag. 57. *Atsarebum* non ignotum castellum est tres parasangas ab Halebo distans. *Lex. Geogr.* Cf. Abulfedae Tab. Syr. p. 21. et Reiskii Animadv. 21. 13.

Pag. 60. De Curdis cf. Vit. Salad. in Ind. Geogr. sub ea voce.

Pag. 61. *Dalucum*. Rectius fortasse scribitur Dolucum; cf. Vit. Salad. in Ind. Geogr. et Selecta ex Hist. Halebi in indice.

Pag. 62. *Arselani*. Arslan lingua Turcica leonem significat. Euphoniae causa literam vocalem e addidi.

Pag. 63. *Sovaidum*. Falsa codicis nostri scriptura: *ila Sovaid altacvituha* pro: *ila Sovaida litacvitiha* in errorem inducti scripsimus. *Sovaidum* pro *Sovaida*, de quo oppido cf. Reiskii Animadvers. 27. 4. ad Abulfedae Tab. Syr. et Schultens. Vit. Salad. in Ind. Geogr.

Pag. 64. *Non ad te Syria etc.* Uberius hoc factum narratur in Selectis ex Hist. Halebi p. 5. vers. his verbis: „Heraclius interim rebus male gestis ab Edessa versus Somaisatham, inde Constantinopolim recessit, et colle quodam conscenso, se convertens, quum oculis tractus Syriacos lustraret, dixit: Vale, Syria, extremum vale: non ad te Graecus nisi pavore plenus redibit, donec filius ille infaustus natus fuerit;



et o si non nasceretur! Quam dulce facinus eius erit, sed finis quam acerbus Graecis!“ Cf. Freytagii Adnot. 25. ad hunc locum.

Pag. 67. *Vulgus enim hominum etc.* Aegypti principes erant Alidae, contra ea Abbassidae Abubecro addicti; atque inde plebis verba quid sibi velint intelliges.

Ib. *Atque iis planitie consita* (allati tamlao -Ifadhaa). Decribendae multitudinis causa additum esse videtur.

Ib. *Presbyterum.* Ita reddidi vocabulum Arabicum alfakiah, quod etiam Iurisconsultum significat, idque praefendum esse duco.

Pag. 72. *In Ciliciam, quae est Orsene Graecorum.* Iam ab initio mirum mihi videbatur Ciliciam vocari Orsene Graecorum, ita enim Arabicam vocem Arsen Errum reddendam putavi. Haec dum scribo, in mentem mihi venit verisimilius esse Arzen sive Erzerum, civitatem nobilem prope Chilathum. Cf. Vit. Salad. in Ind. Geogr. sub voce Arzeroumum.

Ib. *Chilathum* est Reichardii Chliat, Achlat (Flegona T. P.), Abulfedae Chalat. Vid. Vit. Salad. in Ind. Geogr. Arabes promiscue scribunt Chilath, Chalath et Achlath.

Ib. *Caspü.* Arabica lingua cafdjac albahr significat accolae maris Caspii; hoc loco simpliciter vocantur Alcafdjac.

Ib. *Caragü.* Arabicum caradj sive Geor-

gios sive Georgianos esse docet Schultens. in Vit. Salad. Ind. Geogr. sub voce Georgia.

Pag. 73. *Manzicertam*. Abulfedae Malascard et nostri Manascard sine dubio est Manzicerta, urbs celebris Armeniae.

Pag. 74. *Insecutus ad flumen Euphratem*. In codice nostro nomen fluminis indicatum non est; sed superiorem Euphratis partem significari, e locorum ratione ac situ patet. Ea pars vocatur etiam Arsanus sive Arsanias sive Arsinus, et a Plinio Omiras fluvius, estque Teleboas Xenophontis.

Ib. *Sorvae*. Ita vocem alsahra reddendam esse arbitror; id enim oppidum in illa regione, de qua hic agitur, trans flumen Euphratem positum reperi.

Pag. 76. De Romani Diogenis fine vid. Ioh. Curopal. p. 844. et Niceph. Caes. Bryenn. lib. I. cap. XXII.

Pag. 81. *Abutsorajjae*. Haec verior forma est pro Abutsoriae, quod in superioribus aliquot paginis minus recte scripsimus.

Ib. *Pro consiliario*. Hoc verbum non plene exprimit id quod Arabes dicunt Catib; est enim Alcatib is, quem a secretis habet summus magistratus.

Pag. 83. *Viam Graecorum occupaverat*. Id est in Graecos versus iter faciebat vel con-sederat in ea via, quae ducit ad Graecos; neque

enim credibile est taric Alrum nomen esse loci.

Pag. 85. *Gephyram*. Ita reddidi Arabicam vocem hisn-aldjisri (castellum pontis); unum enim idemque esse locum puto.

Pag. 88. *In vallem Bathnae*. Arabice: Vadi Bethnan, de quo cf. Vit. Salad. in Ind. Geogr. sub voce Bezaga.

Ib. *Iafam*. Cf. Vit. Salad. in Ind. Geogr. sub voce Ioppe.

Ib. *Bosaam*. Ita legendum esse censeo pro eo quod est in codice nostro Iosaa. Abulfeda (Tab. Syr. p. 129.) dicit: »Bezaa vero est viculus in agro Babensi, extra quem extat martyreum, ubi est sepulcrum Ookaili filii Abi Thalebi. Chalebo abest mansionem versus septentrionem et orientem«. Cf. Vit. Salad. in Ind. Geogr. sub voce Babezaga et Bezaga.

Pag. 91. *Arselanum Taschum*. Eo nomine Afschinum significari, extra dubitationem positum est.

# I N D E X

## HISTORICUS ET GEOGRAPHICUS.

### A.

- |   |   |
|---|---|
| <p>Abasgi p. 18.<br/>           Abbasidae 66. 68.<br/>           Abdelasisus Hamdanida 32.<br/>           Abualius Menzuri filius 8.<br/>           Abubaschar Christianus 78.<br/>           Abubecrus 67.<br/>           Abudjafar Mohammedus 67.<br/>           Abudjeischus Menzuri frater 7. 8.<br/>           Abulala Sommanida 49. 50.<br/>               51.<br/>           Abulbaracatus Menzuri filius 3. 8.<br/>           Abulfadhlus eunuchus 34. 35.<br/>           Abulfatabus Malicschahus 84. 86.<br/>           Abulfavares Thoradus 66. 68.<br/>           Abulghanaiimus Zalchus 37.<br/>           Abulghanaiimus Menzuri f. 3. 8.<br/>           Abulhasanus Abutsoraiae f. 81.<br/>           Abulhasanus Alius 55.<br/>           Abulhasanus Eddhaifus 11.<br/>           Abulhasanus Eisari filius 21. 33.<br/>           Abulhasanus Menzuri f. 8.</p> | <p>Abulhasanus Saiedddaulae filius 1.<br/>           Abulheidja Hamdanida 3. 4. 5.<br/>           Abulhosainus Abutsoraiae filius 78.<br/>           Abulmaalius Saiedddaulae filius 1. 5.<br/>           Abulvafa 33.<br/>           Abumenzurus Soleimanus 14. 15.<br/>           Abumohammedus Abdalla 40. 47.<br/>           Abunazrus Bocharius 74.<br/>           Abunazrus Fachareddaula 36.<br/>           Abunazrus Mohammedus 81.<br/>           Abusaada 4.<br/>           Abusaiida princeps 87. 88. 89. 90.<br/>           Acaba (oppidum) 52.<br/>           Acca (oppidum) 40. 46.<br/>           Accaridae castellum 15.<br/>           Achavana (locus) 16. 23.<br/>           Adiabene (provincia) 72. 76.<br/>           Adilus Alabus Arselanus 62. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 84.</p> |
|---|---|



- Aegyptii 45. 47. 53. 66. 71. Asiseddaula Fatecus 82.  
Aegyptus (terra) 1. 2. 3. Athia Tsemalis frater 31.  
12. 21. 27. 33. 35. 37. 40. 41. 43. 45. 51. 53. 54. 55.  
41. 43. 45. 46. 48. 67. 56. 57. 59. 60. 77. 78.  
Africaui 23. 29. 43. Atsarehum (oppidum) 63.  
Afschinus 62. 85. 90. 91. 69. 93.  
Ahmaridarum castellum 20. Atsisus Avaci filius 80. 90.  
Ahmedus Hoseini filius 1. 2. Audji 60.  
Ahmedus Schabus 80. 81. Aufidae 60.  
82. 83. 84. 85. 86. Azis (oppidum) 63. 80.  
Aineddaula Abulhasanus 40.  
Ainettamar (castellum) 51.  
Alameddinus dux 47.  
Alani 72.  
Aldesberius 14. 15. 16. 23.  
24. 25. 26. 27. 28. 32.  
Aldjof (locus) 34.  
Alius Abdalvahedi filius 4. 5.  
Alius Abuthalebi f. 67.  
Allanus Hassani filius 24.  
Antiocheni 62. 91.  
Antiochia (urbs) 10. 16. 17.  
20. 22. 27. 51. 52. 58. 61. 62.  
63. 64. 77. 79. 85. 91.  
Apamea (oppidum) 11. 13.  
43. 46. 63.  
Arabes 6. 13. 14. 17. 18. 21.  
26. 28. 35. 38. 47. 49.  
59. 60. 61. 64. 78. 84.  
Armenia 71.  
Armenii 18. 19. 72.  
Arselanus Taschus 91.  
Artahum (castellum) 51. 52.  
62. 63.  
Articum (oppidum) 65.  
Aruhum (castellum) 1.  
Arum (castellum) 1.  
Asaditarum agri 68. 69.  
Asasum (castellum) 5. 18. 56.  
57. 59. 63. 69. 79. 88. 93.  
Ascalon (oppidum) 14.  
Asfunum (castellum) 61. 62.  
64. 65.
- B.
- Baalabecca (oppidum) 15.  
43. 77. 90.  
Bacarluus Turca 77.  
Badrus Turca 12.  
Bagdadum (urbs) 38. 41. 66.  
Bahila Menzuri mater 8.  
Balesum (oppidum) 15. 17.  
20. 26. 38. 56. 57. 59. 92.  
Basasirius 38. 41.  
Basilius Imperator Graeco-  
rum 2. 4. 10. 17.  
Bathna (vallis) 88.  
Bendjutecinus 12.  
Berytus (oppidum) 40. 46.  
Biamrilla Chalifa 66.  
Bosaa (castellum) 88.  
Bulgari 17.
- C.
- Cafarruma (castellum) 1.  
Cafartabum (oppidum) 33.  
55. 65. 90. 91.  
Caibarum (oppidum) 16. 17.  
19. 52.  
Calbitae (Arabes) 23. 34.  
Camar dux 53.  
Candius 42.  
Caragii (s. Georgii) 72.  
Carminum (ager) 89.  
Caspia 72.

- Casthunum (castellum) 51. Dirum (castellum) 88.  
Celabitae (Arabes) 3. 4. 5. Djafar Catamita 23. 34.  
6. 8. 18. 23. 28. 33. 34. Djausani (gens) 64.  
38. 39. 41. 42. 43. 44. Djauschanus (mons) 6. 35.  
45. 46. 54. 55. 56. 57. Djavalium 80. 81.  
60. 71. 77. 82. 83. 86. Djebelsummacus (mons) 21.  
87. 92. 90.  
Chadimus 62. Djelalius 79. 80.  
Chafadjidae 25. 43. Djobailum (oppidum) 40.  
Chalifa Djabiri filius 25. 46.  
Chilathum (oppidum) 72. Domesticus 27.  
73. 75. Donainus Abucalbi filius  
Chonnacia (locus) 89. 44. 45.  
Chorasana (provincia) 67. Drusi 21. 22.  
71. 87.  
Chosari 18. 72. **E.**  
Christiani 10. 62. 63. Eddhaifus Sadideddaula 13.  
Cilicia (provincia) 72. Edessa (urbs) 67. 68.  
Cinnesrinum (oppidum) 14. Edessa (urbs) 15. 23. 33.  
29. 43. 54. 56. 68. 83. 34. 45. 47. 60. 65.  
Codhaius iudex 64. Euphrates (flumen) 2. 38.  
Comnunum (oppidum) 57. Constantinopolis 4. 10. 36. 62. 63. 68. 74. 88.  
Constantinopolis 4. 10. 36. 75. 77.  
Coraithitae (Arabes) 58. **F.**  
Cosairitae (Arabes) 87. Faia (regio) 88.  
Covaicus (fluvius) 32. Fasdium (locus) 44. 45.  
Curdi 60. 46. 67. 68. 69.  
Cyrrestica (regio) 19. Fasthunum (oppidum) 90.  
Fatecus Asiseddaula 12. 26.  
Fatehus praefectus 9. 11.  
Franci 18. 72. **G.**  
**D.** Gabarinum (oppidum) 89.  
90.  
Dabecensia pascua 59. Gephyra (castellum) 85.  
Dailami 60. 68. 86. 90.  
Dalucum (oppidum) 61. Ghanadjidarum castellum  
Damasceni 28. 71. 20.  
Damascus (oppidum) 2. 13. Ghossi 72. 88. 89.  
26. 28. 32. 33. 34. 46.  
77. 80. 81. 90. 91.  
Dausarum (castellum) 27.  
Diarbecra (urbs) 3. 67. 85.  
88.  
Diogenes Imperator Graecorum 64. 76.

Graeci 2. 4. 17. 18. 19. 21.  
36. 47. 51. 52. 56. 58.  
61. 62. 63. 64. 65. 70.  
72. 73. 74. 75. 77. 79.  
83. 85. 91.

## H.

Habar Celabita 45.  
Hacimus Imperator Aegyptiorum 2. 3. 4. 5. 11. 12.  
Halebenses 2. 3. 4. 5. 7.  
11. 12. 16. 17. 20. 22.  
27. 29. 30. 33. 39. 44.  
52. 57. 61. 62. 65. 70.  
80.  
Halebum (urbs) 1. 2. 3. 4.  
5. 7. 10. 13. 14. 17. 19.  
20. 21. 22. 23. 24. 25.  
26. 27. 28. 29. 31. 32.  
33. 34. 36. 37. 39. 40.  
41. 42. 43. 45. 46. 47.  
48. 50. 52. 53. 54. 55.  
56. 57. 59. 61. 64. 66.  
67. 68. 69. 71. 72. 73.  
76. 77. 78. 79. 80. 81.  
84. 85. 86. 87. 88. 89.  
91. 92.

Hamedum (collis) 6. 7.  
Hamedus Rocaibi filius 84.  
85.

Hariba Abdallae filius 52.  
Harunus Chacani f. 56. 57.  
58. 59. 60. 63. 66. 86.

Hassanus Thaita 13. 14. 15.  
Hierosolyma (oppidum) 28.  
Hemathum (oppidum) 24.  
32. 34. 47. 55. 60. 65.  
80.

Heraclius Imperator Graecorum 64.

Hoseinus Camili filius 55.  
61.

I.  
Ibnalmara praefectus 62.  
Ibnalnacidus 42.  
Ibnalsacarius 42.  
Ibnantara 42.  
Ibrahimus Fucanius 53.  
Iraca (provincia) 62.  
Isa praefectus 89.  
Isselmolcus Abulfadhailus  
82.

## J.

Iafa (castellum) 88.  
Iordanes (fluvius) 16.  
Iudaci 10.

Iunneddaula 13.

## L.

Lathminum (oppidum) 24.  
Lilunum (castellum) 10. 51.  
Luluus 1. 2. 3.

## M.

Maarra (castellum) 28. 91.  
Maarramezrinum (oppidum)  
14. 52. 77.

Maarranomanum (oppidum)  
32. 47. 55. 58. 60. 65. 91.  
Maarratarium (oppidum) 91  
Maarrates 90.

Macineddaula Malhemida  
40. 41. 42. 43. 44. 45.  
Madcuna Christianus 3.

Madscinum (oppidum) 80.  
Mahmudus Nazri filius 31.  
39. 42. 43. 44. 45. 46.  
47. 48. 49. 50. 53. 54.

55. 56. 57. 58. 59. 60.  
62. 64. 65. 66. 67. 68.

69. 71. 72. 76. 77. 78.  
79. 80. 81.

- Maiafarecinum ( oppidum ) 4. 27. gyptiorum 21. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 35. 37. 3.  
 Maledum (locus) 56. 40. 46. 50. 59.  
 Malicalasisus Djelaleddaulae f. 79. Munius Mocalledi filius 31. 42. 49. 50. 54. 55.  
 Manbega (oppidum) 15. 20. 26. 56. 57. 59. 63. 64. 88. Munius Schabibi f. 39. 48. Munius Vatsabi f. 46. 51. 68.  
 Manica (castellum) 20.  
 Manzicerta (oppidum) 73. N.  
 Manzicertates 73. Nadirus praefectus 64.  
 Masidi filius 68. Nadja Alii filius 81.  
 Mauzufus praefectus 13. 14. 15. Nazireddaula Hamdanida 32. 33. 43. 44. 45. 48. 49. 67.  
 Mensuus 34. Nazrus Mahmudi filius 65. 79. 80. 81. 82.  
 Mensui filius Catamita 77. Nazrus Schableddaula 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.  
 Menzurus Camili filius 87. 23. 24. 31. 39. 42. 54.  
 Menzurus Djabiri f. 52. 58. Nazrus Mervani filius 27.  
 Menzurus Lului f. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Nethsamelmolcus Vesirus 72. 73.  
 Menzurus Rocaibida 55. Nicetas eunuchus 20. 21.  
 Merdasidae 61. 82. 93. Nocra (regio) 4.  
 Mervanida 37. 68. Nocrani agri 6.  
 Mervanidae 56. Nomairitae (Arabes) 48. 58. 87.  
 Mesopotamia 25. 26. 58. 65. Novatum (Almodjaddad, castellum) 54.  
 Michael eunuchus 16. 19.  
 Miniza 91. O.  
 Mizra (provincia) 67. Ocailitae (Arabes) 87.  
 Mobarecus Schebli filius 83. 84. 85. 87. Olaimorum mons 90.  
 Mocalledus Merdasida 17. 19. 20. 21. 24. 25. 26. 29. 31. 33. 34. 36. Omelcarma Menzuri uxor 8.  
 Mohammedus Dimlagi filius 83. 84. 85. Orsene (provincia) 72.  
 Mohammedus Rocaibi f. 54. P.  
 Mohammedani 76.  
 Mohtamideddaula 42.  
 Momahededdaula 3.  
 Monireddaula 33.  
 Mortadhiddaula 3.  
 Moslemi 19. 52. 74. 75. 76.  
 Moslimus Taghlebida 37.  
 Mostanzirus Imperator Aegyptiorum 21. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 35. 37. 3. 40. 46. 50. 59.



- Porta Gazensis 53. Sailamum (fons) 54.  
Porta hortulorum (Bab Salemus Mostafadi filius 7.  
Aldjennan) 9. 11. 14. 78. 14. 15. 22. 23.  
Porta Iracensis 30. Salimus Taghlebida 37.  
Porta Quadragenaria (Alar- Salmia (oppidum) 24.  
bain) 92. Sarminenses 90.  
Sarminum (oppidum) 43.

R.

- Rabia ben Caab (tribus) 58. Schabibus Mahmudi filius  
Rabiitae (Arabes) 64. 79. 81. 83. 87. 92. 93.  
Racca (oppidum) 27. 39. Schabibus Vatsabi f. 24.  
Radhieddaula Bendjuteci- 25. 26.  
nus 26. 28. 29. Schablus Djamii f. 55. 65.  
Rafia Abulleili filius 15. 88. 89.  
16. 23. Schafius Zufii filius 51.  
Rafica (oppidum) 27. 39. Scharfeddaula Abulmocare-  
Rahaba (oppidum) 15. 17. mus 68. 86. 87. 88. 92. 93.  
20. 26. 38. 41. 51. 56. Scharifus Abualius 33.  
57. 59. 60. 78. Scheicheddaula Eisari ne-  
Ramla (oppidum) 14. pos 35. 36. 37.  
Raphanaeae (urbs) 15. 20. Schodjaeddaula 32. 33. 34.  
40. 65. 80. 81. 90. Seboctecinus 26. 29. 30.  
Ridhvanus 53. Senanus Aliiani f. 13.  
Rocneddaula 40. 45. Senededdaula 13.  
Romanus Imperator Grae- Sennum (arx) 79.  
corum 10. 17. 19. 20. Sidon (oppidum) 15.  
Russi 17. 72. Sizara (oppidum) 2. 55. 85.  
Rustenus (fluvius) 24. Solaimanius 71. 77.  
Sorva (oppidum) 74.

S.

- Saadeddaula 1. 2. 3. Sovaida (oppidum) 63.  
Sabecus 81. 82. 83. 84. 85. Syria 2. 13. 15. 27. 34. 38.  
86. 87. 92. 93. 42. 57. 61. 63. 64. 65.  
Sadideddaula Abulcasimus 68. 69. 77. 80. 85. 90.  
37. 91. 92.  
Sadidelmolcus 13. 14. 15. Syrii 65. 80.

T.

- Sahameddaula Chalifa 55. Tabrisum (oppidum) 72.  
Saideddaula 1. Tadjeddaula Tutuschus 85.  
Saifeddaula 1. 2. 11. 86. 87. 88. 89. 90. 91.  
Saifidae 17. Tannisum (oppidum) 13.  
Saiida Nazri uxor 27. 31. Telfasum (collis) 24.  
35. 39. 51. 71.

- Thaitāe (Arabes) 23. 34. 44.  
Tharuda Zalehi uxor 6. 78.  
Theodora Imperatrix Graecorum 31. 37.  
Thoganes dux 25. 27.  
Thoghrolbeccus 38. 41.  
Thomas Christianus 22.  
Thsafar 50. 59.  
Tisunus 12. 13.  
Tobbal (vicus) 10. 18.  
Tripolis (oppidum) 4. 5. 90.  
Tsabitus Muisseddaulae filius 55. 65.  
Tsaherus Imperator Aegyptiorum 12. 13. 14. 15. 21.  
Tsemal Muisseddaula 16. 17. 19. 20. 24. 25. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 43. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 57.  
Tsibrus Djelaleddaula 42.  
Turcae 38. 56. 57. 58. 60. 61. 62. 64. 65. 66. 68. 77. 78. 82. 83. 84. 85. 86.  
Turcomanni 59. 60.  
Turcomannus Turca 87. 88.  
Tyrus (oppidum) 12. 40.
- U.**  
Ungari 72.
- V.**  
Vallis regum 24.  
Vardus praefectus 84.  
Vatsabus Tsemalis f. 35.  
Vatsabus Mahmudi f. 82. 83. 84. 85. 87. 92. 93.
- Z.**  
Zafieddaula 13.  
Zaldaum (oppidum) 34.  
Zaldis (oppidum) 32.  
Zalehus Merdasi filius 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 16. 22. 23.  
Zalehus Tsemalis filius 31.  
Zendicus Turca 65. 66. 73. 85.  
Zobhus 48.









①: De 5797

ULB Halle 3/1  
000 206 520



Nur für den Lesesaal



